

OPERUM BARTHOLOMÆI RICCII LUGIENSIS

TOMUS TERTIUS,

CONTINENS

LIBROS TRES DE IMITATIONE,

Libellos de evitanda, atque compeſcenda Iracundia,
De Conſilio Principis,
In quaſdam Andreæ Alciati Latinas voces ab eo male perceptas,
Dialogum de Judicio,
Exequias Herculis II. Ducis IV. Ferrariæ,
& Creationem Alphonſi II. Ducis V.
Italico ſermone conſcriptas,
Orationem Joannis Baptiſtæ Pignæ in Herculis ſunere habitam, & Epiſtolam Gaſparis Sardii.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXLVIII.
Apud Joannem Manfrè.
Superiorum Permiſſu, & Privilegio.

BARTHOLOMÆI RICCII

DE IMITATIONE LIBRI TRES AD ALPHONSUM ATESTIUM PRINCIPEM,

Suum in literis Alumnum, Herculis II. Ferrarienſium Principis Filium.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Ateſtio S. D.

Libros tres de Imitatione Alphonſo Principi primum inſcriptos multo correctiores, & emendatiores Aloyſio Fratri in ſecunda editione nuncupat. Conſilii ſui cauſſam affert, & quibus rationibus ad idem Opus cum Fratre communicandum compulſus fuerit, exponit, eumque hortatur, ne ſibi deſit in ejuſdem Operis præceptis rectè, ac ſedulo ſervandis.

SCripſi ego, Aloyſi, tres hoſce libros de Imitatione Alphonſo Principi Fratri tuo, mihique in hiſce humanioribus ſtudiis etiam, cum tu in cunis eſſes, Alumno, non tam ut hoc quoque locupletiſſimo teſte meum erga illum amorem maxime teſtatum ei relinquerem, quam ut hoc etiam docendi modo illi non deeſſem. Jam hic tertius agitur annus, cum primum Opus eſt editum, nulli alii inſcriptum, quam cui erat ſcriptum. Nunc ve-

ro, cum hoc ipſum multo correctius, emendatiuſque ſecundo edere ſtatuiſſem, ac alicui item Principi inſcribere pari ratione ſtatuiſſem, ex iis, qui ſe mihi offerebant, cui illud hac ſua ſecunda editione quaſi dono mitti poſſet, te mihi nullus opportunior oblatus eſt. In omnibus enim, ut omnia diligenter providiſſem, numquam id mihi ſatis cavere poteram, ne viderer, quod ajunt, ex una filia duos mihi generos comparare, ac ex eadem fidelia duos parietes dealbare voluiſſe; qua ſuſpicione in te uno prorſus liberatus ſum. Nam cum frater ſit fere alter cum fratre, in hac mea tibi inſcriptione de Fratre tuo nihil detraxero, quod tibi cum eo hac fratris ratione non commune ſit. Ad hæc accedit, quod pari amore te proſequi videbor, qui pari etiam munere te ſim proſecutus. Nam ſi quid aliud tibi ſeparatim ſcribere voluiſſem, nihil erat; aut ſi erat omnino, certe cum hoc de Imitatione non erat comparandum. Præterea vero qui ego, qui alios imitari doceam, ab imitatione diſcederem? qui cum vos conjunctiſſima voluntate, atque mutuo inter vos maxime amari viderem, hoc modo meis ſcriptis disjungere, atque ſeparare facile videri poſſem. Ætas item nunc tua eſt, quæ Fratris erat, cum illi hoc ſcripſi, ſtudia eadem, par etiam intelligendi ratio, quibus rationibus non ſolum

ſua-

ſuaſus, ſed etiam tractus hoc cum Fratre tuo chariſſimo tibi communicavi; quam tamen Fraternam communionem ſi magis libet propriam tibi efficere, id facile a te obtinere poteris. Neque quicquam aut propinquitatis, aut honeſtatis rationem violabis, ſi ita in hujus Operis præceptis verſabere, itaque hiſce unis operam dabis, ut brevi tui ſtudii nihil te pœniteat. Ex quo iſto tuo ſtudio ego tibi polliceor non multum abeſſe, cum hanc non parvam voluptatem capias. Ingenium tibi non deeſt; commoditas, quantam vis, datur; a me vero Magiſtro tuo, quod ad hanc rem facit, nihil deſiderabis; ut tantum tibi providendum ſit, ut tute ipſe tibi ne defuiſſe videare. Vale.

LIBER PRIMUS

DE IMITATIONE.

CUm de me sæpius audires, Alphonse Princeps, in omni facultate imitandi rationem plurimum conducere, eamque unam esse artem, quæ, quicquid ageret quis, illi quasi & rectam, & facilem agendi viam præmuniret, atque conferret; contra vero, qui ea careret, illum laboriose omnia, & frustra conaturum; ac Majores nostros cum illa, atque adeo cum posteris iniquius egisse, qui cum de cæteris omnibus ingenuis artibus absolutissime scripsissent, hanc unam tam nobilem, tamque necessariam potius indicassent, quam quod ad eam intelligendam, atque percipiendam satis esset, omnino præstitissent, de me eodem audires, mecum sæpius egisti, ut quid ego de imitatione sentirem, ac quæ de ea præcepta tradi possent, ad te copiose perscriberem. Quæ tua honestissima petitio me diu, multumque torsit. Nam cum id maxime cupiebam; tum me omnia tua caussa debere etiam sciebam; quippe qui nihil faciam libentius, quam cum in hoc genere studii tibi obsequor. Præterea vero si ulla mea est dignitas, quæ haud fortasse exigua est, eam totam a te esse mecum omnes sciunt; cum hoc loco, quo me Hercules Pater tuus apud te esse voluit, tum quod ipse tuis istis studiis majorem mihi in dies gloriam comparare contendis. Contra vero summa rei difficultate, quominus & animo meo obsequi, & morem tibi gerere possem, vehementer impediebar. Qui enim in re tanta suscipienda deterreri non poteram, cum scirem primum, maximam esse controversiam, utrum imitatio daretur, nec ne? deinde, si daretur omnino, quibus in præceptis ea delitesceret, mihi pœne divinandum esset, cum de ea multi multa disputent, pauci autem hanc ipsam aut sequantur, aut etiam noscant? Ac quod unum in tanta rei difficultate mihi certissimum præsidium esse potuit, ut aut te ad Herculem Parentem tuum rejicerem, qui tibi quam paucissimis rem tantam tam absolute, quam etiam

iam

tam amanter explicaret; aut saltem ego ejus consilio u-terer, ac ad ejus sententiam meam scriptionem accommodarem, utrumque multiplices ejus feliciter gerendæ Reip. cogitationes mihi prorsus auferebant. Illud etiam accedebat, quod, cum duo Scriptorum genera sint; unum, quod ab imitatione prorsus abhorret; alterum, quod & eam optime callet, & in suis scriptis fidelissime complectitur, ab utroque mihi magnopere pertimescendum erat; ne si hoc, quo illa optime utitur, me quicquam in ejus præceptis tradendis aut negligenter omisisse, aut parum prudenter vidisse [quando & ego in tanta rei difficultate non possem non aliquod admittere, & ea plerumque sint hominum ingenia, quæ longe vitia, quam virtutes attendant acutius] sua diligentia animadvertisset, meum hoc omne studium iniquius accusaret, atque insectaretur ardentius. Cum neque id quoque prorsus contemnendum videri debuit, ne, quod isti ipsi tritissimam viam quasi communire voluissem, quodam modo subindignaretur, ac minime æquo perferret animo. Ab altero vero, quod in sua loquendi licentia libertatem communis orationis tueri profitetur, cujus numerus tanto est major, quanto etiam nequior, magnum periculum erat, ne in judicium vocarer, ac iniquissimæ proditionis reus fierem, qui non Patriam, sed germanæ locutionis libertatem prodidissem; quando ego unus tandem exortus essem, qui eos ad aliorum rationem loqui vellem. Quæ me duæ res gravissimæ ad hunc usque diem a scribendo retardarunt, ac pœne etiam prorsus deterruerunt. Sed cum is meus semper animus fuerit, atque ea sententia, ut existimarem nullum majus vitium esse, quam officio non respondere; neque culpam ullam majorem contrahi posse, quam de nobis optime meritis nullam memoris animi facere significationem; malui a cæteris omnibus prudentiam meam accusari, quam a te officium meum desiderari. Sim ergo ego, qui primus audeam de ea facultate absolutius scribere, quæ tam difficilis est, quam etiam præclara, quæ præclarissima est; me hujus amici etiam oderint, accusent inimici, atque imperiti; Tu vero me eumdem aliqua ex parte gratum habe, quique, in quo possim, gratiam tibi aliquam retulisse videar: tibi affirmo, hoc unum mihi multo plus voluptatis, quam molestiæ illa

omnia, esse allaturum, meque præ hac animi mei benigna satisfactione nihili adversariorum meorum calumniam, multo vero minoris inanem accusationem prorsus esse facturum. En igitur, Alphonse Princeps, quæ mea sit de imitatione sententia, simulque ejus præcepta, quæ a me tantopere expetebas, in hisce tribus libris tibi fideliter perscripta; cui universæ si tu, ut locutioni adhuc fecisti, atque adeo quotidie perbelle facis, æque studebis; non dubito, quin brevi, quicquid tibi scribendum accidat, id & facile, & certa cum ratione facere possis. Sed jam imitationem ipsam aggrediamur.

Cum igitur de imitatione, de qua hæc a nobis est omnis suscepta disputatio, variæ sint Auctorum sententiæ, percommode hoc loco me facere sum ratus, si prius, quam ego quid de ea sentirem, ac ejus præcepta tradere aggrederer, aliorum opiniones accurata disputatione refellerem, ut, quasi totius ædificii fundamentis præclare jactis, reliqua instituti operis substructio facilius ad fastigium suum perduceretur. Duæ sunt igitur opiniones de imitatione, inter se non leviter dissentientes; una eorum, qui in sua tantum natura, quamcumque nacti sint, imitanda mirifice sese oblectent, extrinsecus, quo meliores fiant, nihil quærentes omnino; altera eorum, qui contra ad alterius imaginem se totos conformare, atque confingere prorsus studeant; quam unam imitandi rationem ita suspiciunt, itaque admirantur, ut in quo opere cujusque generis optimi Auctoris impressa, in quibus apte possint consistere, vestigia non agnoverint, quamquam id tale sit, ut ex cæteris ornamentis nihil ei ad omnem commendationem desit, nihil desideretur amplius; illud se tamen posse cumulate laudare pernegent. Neque enim ego quemquam esse arbitror, qui, cum res, atque artes fere omnes naturam ducem sequi, atque imitari magistram videat, sic a rerum omnium, atque artium instituto, atque consuetudine abhorreat, ut nullum huic facultati in rebus agendis usum, per quam cæterarum rerum usus maxime comprobatur, attribuat omnino. Quid enim, quæso, aliud est tota agri colendi cura, atque studium, quam naturæ ipsius non adumbrata, sed expressa quædam imitatio? Illa agrorum siccitatem Cœlesti humore tollit; homines vero, quod possunt, id ipsum irrigationibus efficere conantur. Quo so-

lum

lum natura est pinguius, id eo etiam multo est feracius. Itaque in eo, quod vi illa naturali careat, hominum solertia stercorationem excogitavit. Studiorum omnium moderata cessatione adhibita, ad susceptum munus promptius conficiendum multo alacriores, atque ardentiores redduntur homines: id quod in novali agro prudens servavit agricola. Quoniam vero natura nihil sempiternum, nihil perpetuum habetur, omniaque, quæ in has auras semel producta sunt, ad interitum suum ut aliquando perveniant necesse est, aliud illa deficienti sufficit ad longioris temporis propagationem: quo modo arbores tum insitione, tum plantatione ab agricolis quotidie reparari videmus. Sed ut ab agro ad Civitates, atque ad nobiliores hominum artes me referam; continuo Philosophia, quæ est rerum divinarum, atque humanarum cognoscendarum amor, & cupiditas, nonne in suis studiis naturæ desiderium secuta est? Siquidem omnes homines nihil tam natura cupiunt, atque appetunt, quam scire, quam intelligere. Leges vero, quibus hominum societas incolumis, atque integra conservatur, nonne & ipsæ quoque in vetando, atque imperando ad naturæ rationem sua jussa constituunt? Illa enim, quod honestum est, maxime tuetur, atque amplectitur; ab eo vero, quod turpe sentit, longe abhorret; hæ vero bonos præmiis, supplicio sontes affici jubent. In universa vero dicendi arte quid aliud Rhetores attendunt, quam ut ejus præcepta omnia ad naturam ipsam accommodentur? Continuo enim Oratori aut ab exordio, aut etiam fine, incipiendum esse præcipiunt; quorum utrumque cum natura maxime facit. Nam qui incitato, ac graviter commoto animo agit, irati naturam sequens, subito in adversarium irruit, ac quasi ante, quam gladium stringat, ad manus venit. Qui vero sedatius, ac tranquillius agunt, eorum est proprium exordiri; in quo aut auditorum animi statim conciliantur, aut etiam revocantur, si aliquo modo fuerint abalienati. Quod totum item a natura est, quæ hominem docet, ut in eo, quod petat, obtinendo, continuo, atque in ipso actionis ingressu petitioni suæ studere incipiat, ac auditorem cum ad reliquam dictionem, tum ad rem concedendam faciliorem sibi comparet. Narrandum est breviter; quin in re nota ne narrandum est quidem; propterea quod na-

tura

tura veritatem paucis contineri pernovit, ac ea, quæ optime noverit, fastidit, si sæpius doceatur. Partitur item caussam suam Orator in pauciora capita; quasi vero natura totam fabricam suam in pauca rerum omnium primordia dispertiens non illud facile commonstrarit. Confirmare sua, adversarii contra argumenta infirmare, atque debilitare debet Orator; quod natura ipsa ad vincendum potissimum ostendit suas adaugere quemque debere vires; adversarii vero, quantum possit, infringere, atque comminuere. Commode autem digredi a re, aut dicto aliquo auditoris animum defessum recreare, non postremum Oratoris est officium; quia videlicet naturæ satietas in iisdem, ac perpetuis rebus excitatur, atque commovetur maxime; defessa autem natura aliqua recreatione reficienda est, si eam integram ad rei susceptæ finem feliciter perducere velimus. Postrema vero Orationis pars ea est, qua auditorum animi maxime commoventur, cum eos aut ad odium, aut ad misericordiam perorando traducimus; quæ duo cum natura maxime consentiunt. Probe enim natura comparatum est, ut quisque pro errati, ac sceleris genere in ipsum reum aut lenius ad misericordiam commoveatur, aut acerbius ad iram inflammetur. Quorum utrumque ejus Orationis partis maxime proprium esse solet, ut aut ea ex aliqua æquitate misericordiam reo comparet non minimam, aut criminis atrocitate illum in eam invidiam adducat, qua longe copiosissime condemnetur. Universa autem Oratio ad Trasimachi ætatem nuda, ac rudis, quæque tantum animorum sensa exprimeret, imperite, atque negligenter est perducta. Nullam enim in verborum collocatione jucunditas, quæ de industria conquisita esset, nulla concinnitas ad aures quoque oblectandas prorsus sentiebatur. Trasimachus ad delectandum auditoris animum numerum solutæ quoque Orationi primus admiscuit; quem postea Isocrates secutus, longe hanc numerorum rationem moderatiorem effecit; quia sciebant naturam hominis, quæ numeris constet, e Cœlo ductam, quasi unde facta erat, numerorum dulcedine maxime delectari. Id quod in Poetis, ac Musicis multo facilius comprobatur. Medendi vero ars, cui vitæ recuperatio debetur, nonne & ipsa a certissimis naturæ experimentis profecta est? Nam quemadmodum a canibus vomitionem, atque a ci-

co-

conia excrementi provocatam dejectionem ex inferioribus partibus, sic ab hirudinis suctu sanguinis missionem mutuata esse facile videri potest. Quid autem Pictor, quid Statuarius, cum ille pingit, hic format aliquam imaginem? Nonne quo propius ad naturam aut hic cælo, aut penicillo ille accesserit, eo etiam laudem feret illustriorem? Neque vero vilioris artificii facultates hac quoque imitandi ratione caruere. Veteres navem fabricati sunt. Si quæras, unde formam eam sint mutuati, ab avibus sumpsisse se respondebunt. Nam remi alarum loco perbelle, perque apte dispositi totum corpus ad cursum, quasi avem ad volatum, impellere videntur. Unde etiam Scriptores dixere navem volare. Contra vero de avibus iidem remigium alarum usurpare non dubitarunt. Quin etiam ut in avibus, sic in navibus rostra sunt dicta, ac utriusque nomen [ne quid similitudinis omittam] quam pœne idem sit, quis non intelligit? Nam si primam tantum alterius literam tollas, alterius integram vocem remanere videbis. Sed hæc hominum sunt; quæ subsequuntur, animalium. Corvus ita articulatam vocem in salutando Cæsare aliquando protulisse fertur, ut illum pœne fefellerit, ac pro homine acceptus sit: & nosti, quam rauce, quam aspere incrocitet. Ad quam item vocem effingendam [ut nunc complures in hoc genere aviculas omittam] corvo psittacus nullo articulo obscurior habetur. Ita enim apte, & explicate utrique literas omnes exprimunt, ut, si non videantur, eam vocem prorsus hominem sonare credas. Unam simiam in hoc genere præterire non possum; quod animal quam natura & facie, & gestu ridiculum effinxit, tam ei mirum ad omnia imitatione effingenda artificium adjunxit. Omnis autem administrandi imperii ratio duplex est. Una, cum solus Princeps, altera, cum Cives ipsi Remp. communiter gerunt. Hæc in formicis, illa in apibus constantissime cernitur. Quid vero, quod ne arbores quidem artis hujusce expertes remansere? quæ tantum abest, ut alienam naturam refugiant, ut eam etiam prorsus induentes, suam quasi dediscant; ac [ut inquit Maro] *mirenturque novas frondes, & non sua poma*. Omnia si denique diligenter animo perlustrabimus, nihil tam humile, nihil tam abjectum in naturæ opere universo reperiemus, cui natura ipsa non aliquid attribuerit, ad

cu-

cujus quasi regulam aut vivendi, aut agendi rationem suam dirigat, atque contendat. Quæ cum ita sint, ut, quicquid agatur, id ad alicujus naturę aut suæ, aut alienæ rationem omnino agendum sit; jam videamus, utrum alienam tantum, an nostram propriam naturam [quemadmodum a nobis initio est propositum] sequi debeamus imitando. Ac, quod ad eos, qui in sua tantum cuique manendum esse censent natura, quibus id argumentis convincere conentur, primum videamus. Id igitur isti duabus rationibus obtinere magnopere contendunt. Una, quod imitando nulla spes sit vincendi; altera, quod naturæ vis nulla umquam sit afferenda. Nam quod ad vincendum attinet, sic argumentantur. Cum omnis laus, ad quam quisque suapte natura ducitur, in una victoria sit posita; in victo autem nihil honesti, nihil non contempti esse videatur; ea autem imitationis sit ratio, quæ a victoria longissime absit; siquidem imitandi studium numquam se sic acuet, sicque incitabit, ut, quod imitetur, assequi, nedum superare possit; sequi affirmant, ut qui hanc unam victoriam affectant, quam omnes naturæ vi, atque impulsu vehementer affectant, ad nullam aliorum imitationem eos agere debere magis, quam ad suam propriam. Nam artis imitatorem perinde agere dicunt, atque ille Pictor, qui suis coloribus alicujus rei imaginem exprimere conatur: qui numquam tantum artificium, numquam tantam cum manu diligentiam adhibebit, ut ad id imitando tam prope accedat, quin ei semper ad veritatem multo supersit amplius; qui si contra libere, atque ex sua mente, & voluntate, ut ei magis videbitur, aliquid a se effingat, longe facilius contingere posse, ut eam laudem assequatur, quam alium sequendo numquam attigisset. Pari item ratione in eo equo faciunt, qui liberior ex carceribus sese in cursum agens, quique nullis habenis obstrictus, sed suopte & cursu, & studio ad vincendi gloriam impulsus, eam multo facilius assequetur, quam qui dorso hominem ferat, ac quasi ad ejus rationem pedem ponere cogatur. Nam qui in scribendo stylum suum, suum ingenium sequatur tantum, qui naturæ suæ quasi vestigiis currat, non ad alterius rationem sese agat, aut quicquam attendat alienum, longe eam laudem, quam omnes mire principatus affectant, facilius affecuturum

esse

esse affirmant. Quare etiam ad suam se quisque magis naturam propriam imitandi studium omne ut revocet, atque in se uno totam illam, quam ad alterius exprimendi imaginem adhibeat, diligentem rationem ut constituat, præcipiendum esse statuunt. Naturæ autem repugnare, atque eam in contrarium flectere, tam esse impium clamitant, quam si more Gigantum cum Diis bellum geratur. Cujus quanta vis sit, nihil, inquiunt, attinet disputare; cum plane sciatur, si qui maximo studio ab ea vel longissime aliquando abductus sit, atque per multum temporis spatium in alieno permanserit, ut ei primum ad eam recurrendi facultas oblata sit, illum eam tam avide arripere, quam quod avidissime. Nam, ut inquit Horatius:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Quasi vero Cicero & Cæsarem L. F. & C. Cottam non magnopere commendet, qui suo utrique dicendi genere delectati alienum contempsere; cum neque item Curionem improbet maxime, qui quemquam non magnopere studuerit imitari. Quibus suis rationibus quid efficiant, ac etiam ad eorum imitationem, [quoniam in ejus præceptis versamur] id quam paucissimis fieri possit, videamus. Ac, quod ad victoriam attinet, quam nullam ex hoc imitandi studio reportari posse contendunt, continuo id istis demus: quod tamen paulo inferius secus accidere, ut ipsi quoque nobis concedant, facile convincemus. Sit, inquam, ita, ut, qui imitetur, eo semper, quem sequatur, longe sit inferior; numquam eum æquet; numquam superet; certe ipsi mihi hoc dent, necesse est; ut inter se ipsi quoque imitatores suam laudem habeant, quam, qui cæteros anteibit, assequatur. Fiet enim quasi cum qui in cursu contendunt, in quo cum plus uno primus esse non possit, qui tamen a primo reliquos, aut qui saltem aliquos post se reliquerit, ea, qua potest, gloriæ parte contentus discedat. Nam quanto isti longius imitatorem mihi relinquunt ab eo, quem sibi proposuerunt ad imitandum, tanto mihi in eo spatio occupando, ac propius ad verum accedendo, major cum cæteris imitatoribus gloria ostentatur; ut si, quem primum locum cum multis conor, assequi non possum, comites certe in eo imitandi studio complures possim longe superare, quando primus locus non tam a nobis avide est ex-

expetendus, ut secundum, & tertium prorsus aspernemur. Ac jam illum quoque, quem imitemur, & facile æquari, & superari etiam posse interdum, comprobemus. Certe, ut isti dicunt, in naturæ rebus effingendis tardissima est hominum ars, atque ingenium minime impigrum; sane tamen horum utrumque usque eo vires suas intendit, ut cum naturæ opere horum opus interdum recte conferri possit. Siquidem memoriæ proditum esse a doctissimis Viris legimus sæpius, Zeusim Heracleotem, Pictorem ejus ætatis excellentissimum, uvæ racemum ita suo artificio ad naturam expressisse, ut ad eum aves, tamquam ad verum, cupide advolitarent, ac rostro etiam sæpius appeterent. Hoc loco istos frontem video contraxisse, atque graviter esse perculsos, quando qui Historiam accusent, nihil habeant; habent tamen adhuc, quo confugiant, nescio quid anguli. Facile enim, inquient, fuit tam belle aviculas fallere, in ea præsertim re, quam mirum appeterent in modum: quod non ita illi ipsi in puero acciderat effingendo, qui manu altera uvam gestaret, altera baculum teneret. Nam si id quoque illi evenisset, potuit pari ratione puer baculo aviculas ab uvis absterrere. Age, aviculas omittamus, & ostendamus, non jam animantem ullum rationis expertem, sed ipsum hominem, atque eum etiam hominem, qui omnium minime debuit, in eumdem errorem esse inductum. Ferunt iidem Auctores, istum ipsum Zeusim, cum in eo certamine uvæ racemum a se eo artificio, quo est a nobis supra dictum, factum protulisset, ac ab adversario velum in tabula mirifice depictum afferri vidisset, aliquantulum commoratum, velo illo id tegi ratum, quod uvæ suæ opponeretur, tandem dixisse: Ecquando velum istud tollis? ad quam vocem, cum Parrhasius [cum eo enim in id certamen venerat] arrisisset, tum plane sensit, se in veli imagine maxime esse delusum; atque ita illi victoriam sua sponte facile cessit; ut jam ei, quem sequendum sumpserit, bis parem habeamus imitatorem. Quid vero si hunc ipsum etiam superiorem, atque adeo longe superiorem eo, quem sit imitatus, probatissimo istos convincam exemplo? At hoc quoque quam facile præstem, vide. Omnia Catulli ea cujusque generis scripta sunt, quæ a bonis omnibus maxime probentur; quæ vero in Pelidæ, & Thetidis nuptiis cecinit,

nit, longe probatiora habentur, atque laudabiliora. In iis Ariadnæ destitutionem, ac luctum querimoniis plenum inducit. Ea est ejus Poetæ pars, si qua alia, absolute perfecta, atque expolita; omnia adsunt ad iniquissimæ injuriæ querimoniam, atque lamentationem in perfidum, atque ingratum & hospitem, & virum; ex iis, inquam, quæ in ejusmodi hominem excogitari, quæque dici possunt, nihil non visum, nihil non dictum, atque objectum est. At ea etiam dictione omnia sunt exposita, atque dicta, ut nihil ornatius, nihil prius aut exponi, aut dici posse videatur. Hanc tamen partem integram cum Maro in suam Didonem imitando transferret, tantum abest, ut longissime ab illo relinqueretur hic posterior, ut eum ipse longissimo post se reliquerit intervallo. Utriusque carmina suo loco commodius conferentur, cum de inventionis imitatione agetur; ex quorum collatione id ita esse, tum spero fore, ut facile probem. Ut jam isti clamare desinant, atque objicere cessent, qui alium imitando sequatur, numquam eum esse antecessurum, numquam primum locum occupaturum. Qui vero Pictorem præstantiorem fieri posse eum, qui ad suam mentem tantum & artem, & manum dirigat, quam qui alterius absolutissimam pingat imaginem, constantissime affirment, non ego satis, quid efficiant, intelligo, neque fortasse isti ipsi prorsus vident. Nam si pingendi libertatem eam appellant, qua in Chimæra Pictores uti solent effingenda, iste per me quidem licet, ut etiam, quam avis in volatu, in pingendo sit liberior; sin [quod omnes faciunt] eam ideam, quam jam conceptam ad aliquam rectam rationem habeat, penicillo, & coloribus suis sequi malit, atque ad eam exprimendam omnem artem convertat, is ab imitatione non discedet. Recte sane. At ea ejus erit propria imitatio, in qua etiam si se non æquet, aliis tamen in eo facile præstare poterit, haud inepte quidem, & prudenter. Sed quæro ego, unde eam ideam sibi hunc effinxisse velint. Nam si aliunde sumptam affirment, victos se fatentur; sin a se ipsis desumptam, atque depromptam magis tueantur; quæro item, unde eam satis habeant probatam, quæque bonorum judicio, quo uno, non autem nostro proprio standum est, minime improbetur; præsertim cum illud pernotum sit, *& corvo sui pulli*. Quare etiam Pictorum faci-

ci-

cile princeps Apelles, cum quid tale coloribus suis a se expressisset, propalam id proponere solebat, atque in occulto angulo ipse delitescens prætereuntium sententiam, ac judicium aucupabatur; cui sic obtemperabat, ut eum ad sutoris correctionem crepidæ fibulam corrigere non puduerit. Quid quod Cicero, & Virgilius, duo Latinæ linguæ splendidissima lumina, cum ea essent & natura, & oratione, qua absolutius fieri nihil potuit, quamque posteri ad imitandum sibi omnes boni facile proponunt; alter tamen nihil egit, quod sua imitatione careret; alter non solum id quoque præstitit optime, sed præcipere non cessat, ad optimorum rationem, quicquid agatur, diligenter esse agendum? Neque postremo equus, qui sessore vacuus, atque habenis ad metam liberior per se stadium currat, eo aut citius, aut etiam celerius perveniet, quam qui levem, ac prudentem habeat rectorem. Ille enim passim, quo appetitus rapiet, præceps vagabitur; hic, quo hominis, ac viæ brevioris ratione ducetur, securior pervolabit, facietque potius, quemadmodum ille ait:

Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Et re vera qui ab optimo duce iter suum agat, is id numquam nisi rectissime conficiet, neque in eo quicquam temere admittet, quo ei aut in caput redeundum, aut quoquam declinandum, aut etiam in medio consistendum sit. Quod vero dicunt, naturæ vim nullam esse afferendam, ac ab ea ne latum quidem unguem esse discedendum, næ suæ nimis isti indulgent naturæ, contra autem permultum detrahunt de artificio. Nam si ita sit, Isocrates doctor singularis minime recte Ephoro, & Theopompo discipulis suis consuluisse videtur, quorum utrumque a propria natura, quantum potuit, abduxit. Nam cum alterius orationem quasi abunde luxuriantem videret, alterius quasi verecunde cessantem, huic calcar, illi frænum adhibens, quantum de alterius luxuria detraxit, tantum audaciæ ad alterius cunctationem addidisse creditur. Neque Demosthenes tantum studii, tantum industriæ, tantum laboris in una tantum litera apte proferenda posuisset, si a natura numquam discedendum esse judicasset. Nam cum hic naturæ vitio *r* literam nisi blæse, ac inepte proferret, tantum ab artificio consecutus

cutus

cutus est, ut nullam aliam facilius, nullam aptius, nullam decentius exprimeret, atque proferret. Ab una litera ad magnam hujus eloquentiæ partem transeamus. Omnes isti ipsi Demostheni vim in dicendo a natura tributam esse dicunt. Hic si in eo tantum naturæ bono se se continuisset, neque ad artem in cæteris partibus Oratoriis transisset, atque se confinxisset, numquam eum locum, quem primum habuit inter Oratores, tam facile obtinuisset. Nam nisi a naturali illa sua dicendi vi, atque vehementia ad lenius, ac remissius genus, quoties res postularet, æque descendere, ac dicendi faces illas remittere didicisset, eamque semper audire voluisset, neque umquam ad lenitatem imitando sese excoluisset, profecto gravissimus Orator extitisset; verum numquam primus, ac perfectus. Contra vero Æschines, si quam habuit a natura dicendi suavitatem, in ea se tantum continuisset, neque fortius illud Demosthenicum dicendi genus interdum esset imitatus, & ipse altera Oratoris optimi parte caruisset; neque tam fortasse suavis, quam etiam elumbis, ac frigida ejus oratio sentiri potuisset. Verbis effervescebat Sulpitius adolescens, ac paulo etiam nimium redundabat. Si in ea verborum luxuria perseverasset in reliqua etiam ætate, id ei maximo vitio datum esset. Hic Antonii consilio ad Crassum se contulit, eumque sic animo, & mente complexus est, ut brevi eo studio, atque imitatione id dicendi genus, quod ei naturale erat, laxum, atque redundans, amplum, ac magnificum perfecerit, quod numquam solus effecisset. Nam quod ad Cæsarem attinet, res quidem se sic habet. Sed hunc ipsum, cum a naturali illa festivitate sua nusquam discederet; quippe qui in Tragœdia quoque lenis esse cogeretur; ut Oratorem sine nervis, ac parum gravem idem Cicero notare non dubitavit. Cotta vero jam natu grandior ad Antonii imitationem se contulit. De Curione autem quid amplius dicam, quam eum, præter unum verborum splendorem, nihil Oratoris habuisse? quique pœne infinitis vitiis laboravit; cum neque tamen eo in loco is sit Cicero, qui Curionem non improbat, quod parum quemquam imitaretur; sed Antonius, qui ex sua id ageret naturæ dissimulatione. Quod autem ad Antonium ipsum attinet, nihil aliud dicam, nisi quod doctissimorum hominum sententiis, ac scriptis maxime est

comprobatum, non tam eum artis contemptorem, quam dissimulatorem fuisse optimum. Hactenus eorum rationibus, qui a natura propria toti pendent imitando, satisfactum esse arbitror; atque fortasse ita, ut ne isti quidem ipsi, quæ a nobis sunt in eorum sententiam disputata, non omnia probent, ac vera fateantur. Sed paulo tamen, quam suam isti naturam admirantur, atque unam eam sequuntur amanter, eam, si placet, fortius excutiamus. Primum igitur isti, qui ad suam quemque naturam scribendo revocant, quique a se se eam nihil discedere volunt, nimis stulte ac pueriliter facere videri possunt; qui imitandi rationem universam, cujus termini longe, lateque pateant, intra unius homunculi naturæ angustissimos fines concludant, atque constringant arctius; qui mihi perinde facere videntur, atque imprudens agricola, qui ex una tantum arborum specie omnia fructuum genera suapte natura creari velit; id quod sua stultitia exoptare facile poterit, re autem numquam assequetur. Certe vero id magna ex parte obtinebit, si artificii, ac naturarum communio fiat; quemadmodum ubique unam arborem insitione complures fructus, eosque omnes probatissimos ferre videmus. Deinde vero in magnum periculum suum judicium adducunt. Qui enim isti plane perspectum habere possunt, an sua natura ex omnibus illis partibus constet, quæ ad perfectam dicendi rationem pertinent? præsertim cum minime sibi quisque notus sit, neque impeditius quicquam judicemus, quam cum de nobis id facimus ipsi. Naturam habuit Apulejus ad eam scriptionem, quam continenter est persecutus. At hic rei rationem, quam agebat, aliquam habuerit: convenerit id dictionis genus ad asini ruditus. Politianus [quando hunc imitatio gravissimum habuit adversarium] & de rebus gravissimis, & ad familiares complura volumina scripsit. Ubique eam naturam dicendo est persecutus, quam eum aliis etiam sequendam esse aliquando præcipere non puduit. Horum duorum locutio tantum abest, ut ulla ex parte probata sit, ut ab iis, qui elegantius scribi volunt, ne legi quidem, aut audiri possit diutius. Sed fac, non imperite sit factum, non pueriliter; fac, recte istos sensisse se se; addo etiam conatum suum omni ex parte facillime esse consecutos; dixerint apte omnes ad suam

na-

naturam ; non impolite scripserint ; necesse tamen erit, illud eveniat, quod Cicero Græciæ evenisse querebatur ; ut, dum in sua se quisque natura admiratur scribendo, neque ad eum, quem optimum existimat, orationem suam conformare studet, plura, atque maxime diversa dicendi existant genera. At dicendi artem, ad quam pœne imitandi præcepta omnia constituuntur, a natura ipsa profectam esse, nemo umquam inficiabitur, neque id ipsi umquam inficiabimur. Verum illud constanter nobis tenere licebit, non continuo eam ex cujusvis hominis ingenio esse comprobatam, sed vix etiam multorum sæculorum prudentia, & judicio in id auctoritatis pervenisse, quo est maxime constituta. Ut fortasse primi illi homines cum bestiarum more in agris palantes agerent, qui unam naturam magistram tantum habebant, eam recte sequerentur in agendo, neque aliquid extrinsecus sumerent aut ad agendum, aut ad dicendum. Cum vero longius ætas adolevisset, ac gens coisset in societatem, quin ignari prudentiores imitarentur rectissime, nulli dubium videri potest. Id quod nobis, qui jampridem cum perfectissimis agimus, sine dubio faciendum esse censemus. Hactenus quod ad eos attinet, qui naturam usque eo audiendam esse dicebant, ut arti nihil concederent in scribendo. Alterum vero genus erat, quod tantum imitationi tribuebat, ut nisi in illo opere, quod in manus incidisset, optimi in eo genere Auctoris imaginem expressam videret, etsi id ab omnibus aliis partibus optime constaret, sibi tamen non satis probatum iri, affirmare non dubitaret ; ut mihi rem cum iis esse videas, qui nullum medium adhibeant, in extremis inhæreant obstinate. Illi omnia a sua quemque natura, nihil extrinsecus petere jubent ad scribendum ; hi contra, nisi quod ad aliorum rationem probatissimum in tua oratione senserint, non sunt admodum comprobaturi. Sed ii, qui suam quemque naturam sequi volunt agendo, satis supra [quemadmodum arbitror] a nobis sunt confutati, atque convicti. Nunc autem illi, qui ita censent, omnia nobis ad alienum institutum esse conformanda, nihil ad nostrum, pari sunt ratione confutandi, atque convincendi. Ego neque tam inhumanus sum, qui naturæ bono hominem privare audeam, neque tam fatuus, qui non videam, naturæ vim

in omnibus rebus maxime dominari. Neque ego umquam C. Cæsarem, nec Cottam, nec Curionem minus probatos haberem Oratores, quoniam sua natura maxime essent delectati, sed quod, in quo ii potuissent bonos imitari, neglexissent, non possem plane probatos habere. Nam si hoc sit, quod isti volunt, ut a se ipso nihil sit expetendum, næ cum illis inique actum est, qui primi homines, quos imitarentur, aut in ædibus ædificandis, aut in suis sensis vicissim promendis nullos habuerunt. Quod minime est dicendum, ne naturam omnibus in rebus optimam magistram, ac matrem omnium benignissimam, aut in hac parte mancam, atque imperfectam, aut impiam novercam insimulare videamur. Neque hæc ipsa satis cum homine liberaliter ageret, cum quem liberum procreasset, in loquendo tamen eum in servitutem redigeret, si, nisi ad quasi præscriptam alterius rationem, vel verbum ullum ei proferre minime liceret. Præterea vero quid in eo omnes Auctores tam convenienter consensissent, cum naturam in omnibus rebus suam cuique optimam ducem esse prædicant sequendam? Quid, inquam, illud, quod in ore est omnium cum creberrimum, tum celeberrimum:

Ne quid, invita, facias, dicasve, Minerva:

si a nostra deficiendo ad alienam, atque adeo nostræ maxime contrariam, nobis esset confugiendum? Sentio, hoc loco istos indignari graviter, ac me summæ inconstantiæ, atque etiam prævaricationis accusare, qui modo contra naturam caussam meam egerim tam acriter; nunc vero, tota ea dissimulata, sic in ejus castra transfugerim, sicque ejus defensionem susceperim, ac omnibus eam præsidiis communire cœperim, ut qui totus ab ea stet, quique fortissime unam eam tueatur. Hos autem ne multis morer, ac quasi secum oratio mea, non autem cum illis, contendere videatur, quid ego tandem de imitando sentiam, ac quam huic facultati summam faciam, jam explicabo liberius. Ego igitur sic sentio, & naturæ artificium, & artificio naturam, ut in cæteris rebus, sic in imitatione plurimum prodesse, atque alterum alterius auxilio omnino indigere. Nam qui naturam suam, in quo minime mala sit, sequatur, eum valde esse probandum, nec quæ sibi deesse senserit, si ea aliunde imitando assequi studeat, quicquam contra improbandum existi-

sti-

ſtimo. Ita enim fiet, ut neque naturæ adverſetur; & aliena, quæ aut ſibi erunt neceſſaria, aut ſuis etiam meliora, minime contemnere videatur. Quæ mea ſententia cum Horatii ſententia maxime conſentit, qui ſic & naturam, & artem in pangendis verſibus conjungit, ut alterius alteram ope indigere planiſſime teſtetur, cum ait:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Naturam, & ſtudium deſiderat Horatius in Poetis, qui magis naſci, quam fieri ſolent: quanto autem verius id in ſoluta erit tenendum oratione? Quaſi vero ipſe quoque Cicero, atque adeo in iis ipſis, quos jam ſæpe adduco, non idem planius ſenſerit. Siquidem hic C. Cæſarem, C. Cottam, ac Curionem commendabat, qui naturam ſuam ſecuti eſſent non peſſimam; in eo vero, quod aliunde ſumere poterant ad orationem ſuam perfectius abſolvendam, cum neglexerint, eos ipſos tum minime leviter improbabat. Id quod ille, quiſquis is fuit [quando ſunt, qui Horatium fuiſſe negant] in Lucilio ad hunc modum damnabat;

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte eſt,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod ſale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.

Laudat ille Lucilii ſales, non ita verſus compoſitionem. At id ejus ætati condonetur. Sic enim tum incompoſite ſcribebant, atque incondite. Ovidius natura verſus effudiſſe fertur facillime: id quod ipſe quoque teſtatus eſt aliquando. Hic ſi eos ad aliquod diligentioris artis, aut attentioris naturæ ſtudium ſcripſiſſet, ac ſibi in ſua natura tantum non eſſet obſecutus, certe ſuos amores verſu elegantiore perſequi, ſua autem tempora non tam molliter, tamque effœminate deflere potuiſſet. Rectius autem P. Sulpitius, de quo paulo ante ſupra dicebam, qui cum natura ipſa ad magnificum, atque præclarum dicendi genus inſtructus eſſet, videns tamen, ſe eo ſolo naturæ ſuæ bono pervenire non poſſe, ſe ad Craſſum contulit, a quo unius anni ſpatium plurimum adjumenti ad naturalem illam dicendi dignitatem attuliſſe teſtatum reliquit Cicero. Sane vero cum in omnibus hominibus

vix omnia esse possint, quæ cumulate laudentur; næ is audacter, nisi etiam temere, facere videtur, qui in se uno ea posita esse omnia insolenter confidat, atque arroget impudenter. Hic a natura factus erit ad docendum; ille magis, ut delectet; alius, ut graviter commoveat; accusationi alius; alius defensioni; alius ad populum; in Senatu alius a natura dictionem suam felicius habebit accommodatam. Siquidem natura nasci factum ad omnia, Diis solis contingere solet. Itaque recte ea, in quibus natura defuerit, nobis nostro studio, atque industria erunt comparanda. Imitetur autem filium meus imitator, qui cum proceritate, colore, vultu, ore, facie denique tota parentem optimum referat, ejus quoque animi virtutes, ad quas fortasse natura minus apte se factum sentiat, suo studio, sua diligentia in seipsum exprimere conetur. Quemadmodum in bonis patriis facere solet idem filius, qui non solum ea, quæ sibi a patre relicta sunt bona, conservare, sed iis etiam extrinsecus suo studio, suaque industria plurimum adjungere solet. Ita meus faciat imitator; cui naturæ bonum plurimum affuerit, id diligenter conservabit; si quæ vero desiderabuntur, aut quasi ad locupletiorem familiam alendam, aut filiabus dotem comparandam longe compluribus, ea suo studio aliunde bonorum imitatione comparare debebit. Quod igitur quisque naturæ bonum possideat, is in eo ita se exerceat, is id ita tueatur, ita foveat, ita amplexetur, ut in eo cæteris aliquando se præbeat ad imitandum; in eo vero, quod desiderabitur, [neque enim nobis semper cupressus erit pingenda] id arte, atque meliorum imitatione ut corrigat, accurate studebit. Qui vero natura pessime imparatus erit [quando omnibus aliquid consulere volumus, etsi cum bonis admodum sentimus, non, ut ajunt, ex omni ligno apte Mercurium fieri solere] cui, inquam, pœne tota aliena sit natura induenda, sua contra exuenda, eum, ne se quoque vitium suum aliqua ex parte corrigere posse desperet, fideliter admonemus, si studium, diligentiam, amorem in eo adhibebit corrigendo. Quin etiam accidere posse, ut probatissimus, atque maxime perfectus evadat, polliceri possumus fortasse non inepte; qui, quasi agrestis arbor faciat, quæ cum nullius tolerabilis saporis fructus ferret prius, per surculum unum alienum in se immissum, ve-

te-

terem illam omnem acrimoniam exuens, novos, ac minime insuaves succos recipit; sic ille totus a se se discedens, ac in eum locum probatiorem naturam admittens, atque interserens, aliquando etiam se sentiet e stipite hominem evasisse perelegantem; conetur modo, audeat, contendat, habeatque in primis, qui viam monstret, qui fideliter edoceat, vel si omnino cum primis minime excelluerit, certe eo perveniet, ut sui loci haudquaquam pœniteat, neque in postremis, atque contemptis habeatur. Equidem imitationi [ut quod de ea sentiam, tandem planius explicem] id accidisse arbitror, quod cæteris omnibus artibus accidisse constat; ut ea, quæ a sapientibus Viris probarentur, studiosius sequeremur, quam, quæ non satis tuto a nobis essent excogitata, cum periculo experiremur. Quemadmodum in frugibus planissime videri potest, quæ postquam sunt in usum hominum adinventæ, nulla gens tam effera, nulla tam elegans fuit, quæ ab iis ferendis, atque colendis ad novam victus rationem indagandam animum suum converteret. Sic in ædibus ædificandis evenisse affirmare non dubitarim, in quibus homines primum, ut cuique factum accidebat, ex quaque materia ad frigus, imbres, nives, atque ardentioris Solis æstus depellendos, atque defendendos tectum aliquod sibi constituebant; ut vero ii reperti sunt, qui ad necessitatem illam ædium quoque dignitatem, atque magnificentiam addidere, primam illam simplicem ædificandi rationem avibus, atque feris relinquentes, hanc artis magistræ solam posteri sibi vendicaverunt. Simili ratione in pictura factum esse facile conjici potest; eam videlicet initio aut ex carbone, aut ex ebuli baccis extremis lineis, iisque crassioribus rei tantum, quæ effingeretur, imaginem circumduxisse; postea vero rem feliciter ad distinctiores colores pervenisse, ac non modo, ut formæ veritatem ipsam referret, sed animi etiam affectus, ac ætatem in vultu proponeret explicatam, fidelius obtinuisse; qua una perfecte percepta, illa rudioris ætatis lineamenta, quasi spongia sunt ex hominum animis, nedum ex gentium usu, prorsus deleta atque extincta. Ut in hac quoque nostra pari ratione faciendum esse facile videri possit. Nam quousque primi rerum omnium auctores non satis probarentur, suum tum cuique ingenium ut experiretur, ac se unum sequeretur,

recte fortasse permitti potuit; ut vero paulatim cum hominum ingenia, tum studia usque eo se expoliendo pervenere, ut pœne omnia haberent absolutissima, atque perfectissima, ac cujusque rei quasi certissimam imaginem sibi effinxissent, plerunque ad eorum regulam certissimam agendi rationem dirigendam esse, boni omnes comprobasse videntur. Quin etiam in ipso naturæ nostræ bono excolendo nihil prorsus obfuerit habere, ad cujus imaginem id expoliamus, atque perfectius absolvamus; ut omnino hæc imitandi ratio cum hominum studiis, tum etiam naturæ beneficio plurimum profutura sit. Illud autem in primis, etsi postremo in loco positum sit, diligenter etiam, atque etiam erit videndum, ut, qui sive naturam suam tantum sequatur, sive qui alienæ se quoque commiserit, rei in primis, qua de agetur, naturam attentius observet, atque custodiat diligentissime; quemadmodum Maro, qui alio numero, atque verborum granditate tubam inflavit, cum Æneæ errores, atque res ejus præclare gestas cecinit; alio, cum rei rusticæ [ut Bucolicum carmen longe hoc quoque inferius nunc omittam] præcepta tradebat; cum eodem tamen genere versus omnia persequeretur. Quod de uno scribendi genere dictum, de omnibus dictum volo. Sed jam, qui nobis imitandi sint Auctores, quosque duces sequi debeamus, explicare aggrediamur. Optimi igitur in quaque facultate, quorum similes simus, nobis proponendi sunt, Auctores; nisi, quem sibi quisque ad imitandum susceperit, eum superare, aut etiam æquare, quorum utrumque est difficile, ac perrarum, non possit omnino; saltem eo in loco consistat, quo prorsus jacere non videatur, ac in ea quoque commendationem aliquam ferát, qui non humilia sectatus, in deligendo recte sensisse judicetur. Quos autem optimos intelligam, ii plane sunt, qui nobis usu, ac bonorum testimonio maxime comprobantur. Cæsarem in Historia Cicero plurimum commendat; Sallustium usque eo quidam in Romana extulerunt, ut illi in ea principatum deferre non dubitarint; cum Livio lacteum eloquentiæ, ut ipsi dicunt, jam plerique tribuant candorem. Catoni, Varroni, Columellæ, [his etiam Palladius aliquo modo, si quis velit, per me quidem licet, accedat] Asconio, Celso, Vitruvio, in suo cuique scribendi genere, atque ordine

ne certissimo non minima laus tribuitur . In uno vero Cicerone [ut Cæsaris nunc testimonium omittam, qui illum non tam de Patria, de qua optime, quam de nomine Romano meritum esse testatus est,] omnia, quæ eloquentiæ propria sunt, una omnium hominum, & seculorum sententia cumulatissime sunt absoluta. In Poetis autem Terentium ea commendatio prosequitur, quæ ejus fabulas ob earum elegantiam a Lælio, atque Scipione conscriptas esse suspicatur. Plauto nullum majus dari potuit testimonium, quam cum majores dixere, Musas, si Latine loqui voluissent, Plautino sermone fuisse locuturas. Seneca autem, mea quidem sententia, non tam accusandus est, quod non perpetuo plane, ac splendide Latine locutus sit, quam etiam laudandus, atque recipiendus, quod Tragœdiæ formam, neque eam admodum contemnendam, qui nobis commonstret, solus remanserit. Catullum, Tibullum, Lucretium, Horatium, Maronem, tantum abest, ut boni omnes non magnopere laudent, ut eos etiam nullo fine suspiciant, mirentur, colant. Sed res hæc fortasse nimis celeriter percursa est. Quare, si placet, paulo hanc ipsam copiosius, atque diligentius pertractemus. Ex iis itaque, qui ad scribendam Historiam [quando hos prius supra nominavimus] se se applicuerunt, tres esse dicebamus, qui in ea facile præstarent; Cr. Sallustium, C. Julium Cæsarem, T. Livium Patavinum; qui omnes cum maxime diversum scribendi genus secuti sint, in suo quisque tamen assecutus est, ut admodum probaretur. Nam in duobus, primo, & postremo, sane quædam virtutes extant, quæ summam illis, quam possident in scribendo, laudem omnem confecerunt. Sed his tamen luminibus vitia quædam ipsorum propria nonnullas tenebras offuderunt, ut in Sallustio, qui, cum Thucididio more creberrimis, ac locupletissimis sententiis Historiam suam exornet, atque illustret, ac in ea dicendi brevitate, quæ Historiæ maxime propria est, sine controversia solus dominetur, nec non locorum, atque personarum mirus sit descriptor, non caruit tamen suis quibusdam vitiis, quæ hisce virtutibus aliquid officerent. Non enim desunt, qui elaboratæ orationis hunc accusent; certe vero permulta hic verba, quæ prorsus ab illa excultiore, atque adeo sua ætate exciderant, retinere conatur. Non enim abduci

potest,

poteſt, quin Latinam orationem nimis vetuſtis, atque horridioribus verbis abſurde infuſcet, obtenebret, exaſperet, atque inculcet. Livium autem [ut ejus candorem nunc miſſum faciam] magis in Concionibus ſuis ſummos ſibi clamores excitare boni plerique exiſtimant, ac eum illa in parte omnem laudem exhauſiſſe facile conſentiunt. Sed hic quoque in eo, in quo maximam laudem aſſequi videtur, nè interdum extra ſuos cancellos [ut Patavinitatis illud neſcio quid ei condonem] dicendo efferatur, magnum eſt periculum; cum eo orationis genere in Concionibus uti non liceat, quod acre, atque contortum appellatur; ac ſæpius uſu veniat, ut milites hortandi ſint acriter in rem promptius, ac vehementius gerendam. Jam vero, ut de Cæſare agamus, hunc ego mihi ex noſtris, in quo omnes Hiſtoriæ virtutes elucefcant, nihil vitii contractum ſit, ſine ulla exceptione propono. Nam, ſi in Hiſtoria plana brevitas maxima in laude ponitur; quis uno Cæſare pura, atque illuſtri brevitate dulcior, atque planior? in quo ne verbum quidem, quod ad rei pleniorem deſcriptionem deſideres, aut ad nimiam luxuriam diffluens redundet, poſitum eſſe offendes. Sincerus hic rerum eſt geſtarum pronunciator, nudus, rectus, ac nullo oblitus fuco, ſed ſuo quaſi ſanguine coloratus. Quin eo ipſo, quod omni orationis ornatu caret, nulliſque ad venuſtatem calamiſtris ejus dictio eſt inuſta, multo ornatior, atque venuſtior videtur; ut mulier, quæ ſuopte bono ſatis habens ad pulchritudinem, quo minus ad eam cultus adhibeat, eo multo venuſtior, multoque comptior fit. Verba in omni oratione ea maxime eſſe debent, quæ uſu probentur; ſi vero ad id horum delectus acceſſerit, nihil tum poſtea relinquitur, quod orationi deſideremus; quæ duæ res in uno Cæſare maxime enitent. Nihil enim verborum eſt uſu, & conſuetudine non probatiſſimum, nihil humile, nihil abjectum, nihil indignum in ejus oratione ſentitur. Hiſtoriæ item oratio ut leni, atque æquabili tractu profluat, non poſtrema eſt commendatio. At in Cæſare quæ verborum lenitas? quam apta collocatio? quæ vero hujus æquabilis concinnitas? Nihil in eo aſperum, nihil incompoſitum, nihil abſurdum offenditur; omnia item ſic cohærent, ſicque apte coagmentata ſunt, ut emblema vermiculatum imitari ejus oratio videatur. Hæc denique ita cum juſto, ac tolera-

lerabili spiritu terminantur, ut ne verbo quidem productior, quam par est, trahi; aut angustior, quam deceat, premi sentiatur; cum in superiorum altero tribus interdum verbis constricta, fortasse nimis arcte comprehendatur; in altero vix tribus versibus luxurians sententia longius dilaxetur. Qui autem hunc accusant, quasi omnem Historiæ legem in sua Historia minime complexum, ii, quam id recte, viderint ipsi. Equidem cum uno Cicerone errare malo, quam cum illis sapere, qui, cum de hoc ipso agit, sic inquit: *Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere Historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit*; ut ineptos eos appellet Cicero, qui velint manus addere, ac quasi pigmentis circumlinere; sanos, qui ab eo munere suscipiendo sunt deterriti. Id quod nulla alia ratione factum est, nisi quia divinus Scriptor omnem Historiæ vim in sua Historia consumpserit, nihilque, quod ad eam partem scribendi pertineret, aut omiserit, aut non sit omnino egregie persecutus. Hunc igitur mihi, si Historiam scribam, sine ulla dubitatione proponam, ad cujus scribendi rationem meam ipse omnem conformem, atque constituam Historiæ imaginem. Quæ mea sententia eo quoque nomine meo animo longe probatior accidit, quod idem Andream Navagerium sensisse memoria teneo; postea vero Petrum Bembum hoc ipsum in sua Historia fecisse video; quorum duorum præstantissimorum hominum auctoritas tanti apud me est, ut cum ab illa majorum nostrorum ætate discedo, quæ elegantioris Latinæ dictionis copiam omnem secum extulit, his & recte judicandi, & perquam ornate loquendi primas facile concedam. Historicis uno plures sunt, qui de agricultura cum summa laude scripserunt. Verum in Catone multa inania, præter verborum usum obsoletum, sunt qui graviter reprehendant. In Varrone autem aliquanto Latinus sermo cultior est factus, sed ipse quoque paulo pressior videri potest, quam tanta rei magnitudo postularet. Viam tamen si quis utriusvis insistat, non admodum eum improbem; modo eam quibusdam in locis laxiorem, ac paulo patentiorem efficiat eundo. Hos Columella sequitur; sed qui ab utriusque angusta [ut dicebamus] nimis præcipiendi ratione in patentiora præ-

cepta

cepta discessit, & ea ipsa cultiori illo dicendi genere, quod magis probatur, elocutus est. Ad hos Palladius accessit, non totus hic quidem fortasse contemnendus, qui non solum veterum instituta non neglexit, sed suam etiam quandam præcipiendi viam adinvenit novam; qui singulis separatim mensibus suum quodque studium constituit, ac certo quoque tempore quid faciendum, quid non, planissime demonstravit; in quo rem rusticam non tam edocere, quam etiam componere est visus. Vereor, ne meum judicium in certissimum periculum adduxerim, qui tam libere de præstantissimis Viris, quid ego senserim, posteris etiam scriptum relinquere sim ausus. Hoc enim qui facit, non tam videtur de aliorum scriptis judicium facere, quam sua ipse scripta, de quibus alii judicent, in medium proferre. Sed in hoc quoque Ciceronem, quem imitemur, locupletissimum habemus Auctorem, qui idem præclarissime fecit in eo libro, qui Brutus inscribitur. Atque haud scio, an hoc quoque meo periculo studiosis, quod unum attendo, studeoque maxime, aliquid profecerim omnino; ut post hoc meum judicium non desint, qui suum quoque, fortasse rectius, interponant; ac quod a me studiosi habere nequiverint, id mea saltem caussa ab aliis sint consecuti. Redeo igitur ad institutum, ac ad eos, qui Interpretem agunt, quique magis in alieno studio suum studium exercent, quam aliquid ejus generis, quod alii interpretentur, ipsi conscribant. Si mihi igitur Interpres sit aliquando agendus, nihil mihi aut Donati prudentia, aut Servii Honorati diligentia [ut reliquos minorum gentium Interpretes omittam] quicquam obstiterit, quo minus Asconium Pedianum mihi deligam, cujus ad rationem interpretandi totum me conferam, atque adjungam, quod a meo Manutio in epistolis ad Atticum exponendis video fieri sane quam præclare. Agant alii per me, quod lubet; non se se ostentent; non ab re aberrent; non omnia conturbent; non etiam perperam sæpius exponant; videant interdum, quid dicant; hic vero meus ita recte omnia pertractat, itaque plane docet, ut neque in re facili fastidium creet; neque in difficili non facillime satisfaciat; quin id utrumque ea oratione persequitur, ut vix scias interdum, an is scit, an Cicero, qui loquatur. Unum in eo tantum desiderari potest, ut aliquando integer

teger alicunde in lucem emergat: id quod a meo Manutio magna ex parte videtur expectari. In iis autem disciplinis, quibus singulis singuli tantum Scriptores memorantur, facillima in deligendo accidit deliberatio. Quem enim fugit, si cui in re medica scribenda versandum sit, ab uno Celso Viro mea quidem sententia divino, numquam esse discedendum? Sin autem in ea facultate, quæ villas, quæ ædes, quæ Templa, quæ Urbes ipsas, quales futuræ sint, effingendo præmonstrat, atque repræsentat, operam suam collocarit; quam ille imaginem sequetur, nisi quam illi Vitruvius constituerit, atque confinxerit? Sed præter eas, quas pauciores commemoravimus, longe etiam plures scribendi formæ supersunt aliæ, quæ suam & ipsæ, cui se adjungant, a nobis imaginem desiderant. Nam & agimus cum absente per literas, idque non uno modo. Artium deinde præcepta traduntur. Postremo incidunt accusationes, vituperationes, suasiones: totidem, his quæ opponantur, defensiones, laudationes, dissuasiones. Horum omnium generum imagines, mea quidem sententia, aut ab uno Cicerone, aut a nemine alio sunt petendæ. Siquidem hic ita eas omnibus suis lineamentis, atque coloribus describendo expressit, itaque expressas omni orationis ornatu illustravit, ut, in utro sit majorem laudem assecutus, non facile dixeris. Nam quod ad epistolas [plane scis earum multa esse genera] aut hic unus omnia felicissime executus est, aut quæ non attigit, vel id facere ei minime usus venit, vel contempsit omnino. Certe si quis, quæ Cicero tractavit, perfecte noverit, nihil vereor, quin cætera quoque a se ipso possit egregie pertractare; quod Bembus in suis [ut dicunt] Brevibus optime comprobavit: qui sic ea in epistolæ formam redegit, ut, cum illa legas, vere Latinas epistolas legere videaris. Cum vero præcipit, non tam id agit facile [quod agit quam facillime] quam fideliter, atque distincte. Nam si de re multiplici præcepta sunt tradenda, statim ea in sua dividit capita; partes deinde cujusque capitis recto ordine, atque ratione absolutissime, ac minutissime conficit. Sin autem oratio altius tollenda est, atque aut ad Judices causa est peroranda, aut aliquem ad populum orandum, aut in Senatu graviter sententia dicenda est; aut hic unus omnia egregie præstitit; aut alius nemo. Quis enim

hoc

hoc videt acutius? quis inventa suo quæque loco certius disponit? quis ornatius? quis copiosius? quis gravius loquitur? quis item cum caussa exorditur aptius? quis brevius, suavius, magisque dilucide rem totam narrando complectitur? quis suas vires auget fortius? quis adversarii validius debilitat? quis item commodius a proposito digreditur? quis aptius ad propositum redit? quis hoc postremo & quibus animi acerbius impellantur ad iram, & quibus impulsi lenius ad misericordiam traducantur, aut miserabilius, aut acrius pertractat? In qua quoque postrema dicendi virtute maxima quia solus dominabatur, in iis caussis, in quibus plures Patroni adhiberentur, eam omnes illi conjunctissimis sententiis deferebant. Res una est varia, & multiplex Oratoria facultas, in cujus aliqua parte qui excelluerint, multi sane quidem numerantur Oratores; qui vero universam ejus pertractandæ rationem egregie, ac perfecte tenuerit, cuique primas, & secundas, & tertias omnes uno consensu facile concesserint, solus est Cicero. Nam si in re humili versetur, eamque aut demissius [ut par est] sequatur, aut si ad caussæ amplificationem illam ipsam altius tollat, dici non posset, quam utrumque faciat commode. In magna vero si idem usus accidat, aut hic omnem ad eam extollendam orationis vim, atque illam ipsam luminibus omnibus illustrandam splendidissime adhibebit, aut præterea nemo. Sin autem contra hæc eadem extenuanda sit, nihil hoc humilius, nihil abjectius demitti potest; cum in temperata nihil extrinsecus attingat, quo quidem magis ad hanc, quam ad alteram partem inclinare videatur. Duæ sunt res in Oratore, quæ illi maximam laudem afferre solent; dicendi vis, ac suavitas: utra quarumvis in quo extiterit, is certe magnus habebitur Orator. Utram vero Cicero certius possederit, in dubio relinquitur. Nam cum vult, ita auditorum animos suavitate perfundit, ut eos omni liquefaciat dulcedine; contra, si libet, sic altius eos ipsos defigit, ut in iis gravitatis aculeos ad diuturnum tempus relinquat. Ac ne singula [ut cœpi] pergam suis laudibus tollere, quæ in hoc uno omnia floruerunt; id tantum addam; hoc uno in quovis dicendi genere nihil perfectius, nihil cumulatius, nihil absolutius nec factum esse, nec fieri potuisse, huncque eum fuisse Oratorem tenere possumus, quem Antonius se numquam

vi-

vidisse dicebat, quemque Cicero ipse in suis Oratoriis libris optime informat; tametsi is probe, & modestissime dissimulet. Hunc igitur unum in hisce dicendi generibus, ad cujus imaginem scripta sua conformet, atque ad cætera dicendi genera locutionem transferat, quisque sibi proponere, ac deligere maxime debebit. Sed quoniam mihi jam integrum non est, ut Poetas ab Oratoribus segregem, quos supra conjunxerim; pergo, ut eos quoque absolvam. Tametsi quam difficili, scopulosoque in loco mihi versandum sit, plane video, cum de iis hominibus, qui animi vigore ad Deos propius, quam genere ad homines accedunt, ego homuncio judicium facturus sim. Sed hoc quoque loco mihi pluris sit, animum erga studiosos meum singulari officio extitisse, quam vel tantum meum periculum dissimulando devitasse. Ego igitur ex tanto eorum numero [est enim pœne infinitus] qui in pangendis versibus se se oblectarunt, paucos admodum reperio, qui ita ingenio floruerint, ita eloquentia præstiterint, ita denique divino illo spiritu afflati versus ejus generis ediderint, ut digni habeantur, quorum nobis imaginem proponamus ad imitandum. Atque ut ab illis exordiar, qui numeris huic, qua vulgo Latini loquebantur, orationi conjunctiores sunt: duo tantum nobis ex Comicorum numero supersunt, M. Plautus, & P. Terentius; ex quorum utroque satis habebis, quod in tuam fabulam transferre possis ad imitandum. Nam sive risum quæras creberrimum, quod populo maxime placere intelligo, id ex Plauto sumas. Sed ne risus tamen excedat, erit tibi magnopere videndum. Sales enim & facetiæ usque eo sales sunt, quoad intra legem suam continentur; cum vero ad scurrilitatem luxuriantur, tum plebejo tantum dignæ sunt theatro. Sin gravitatem in scenam iuducere mavis, ac cum summa etiam dignitate delectare; qua via id efficias, Terentius tibi facile demonstrabit. De quorum utroque plura nihil attinet dicere, quam quæ ab Andrea Navagerio in sua in Terentium epistola prudentissime sunt disputata. Latinam quidem orationem paucis quibusdam vetustis vocibus [sic enim ipsi tum loquebantur] declinatis, ex utroque tibi mutuari licebit; longe tamen eam uberiorem Plautus suppeditabit. Sterilis enim quodam modo, vel [ut modestius agam de tanto Viro] parcior est Terentius, qui,

quæ

quæ res illi ſe offert ſæpius dicendam, eodem ſemper modo, aut paucis admodum mutatis, an pronunciet nihil laborat; cum Plautus in eo nunquam ſit ſui ſimilis, novuſque in nova oratione ſemper appareat; politior, ac caſtior tamen, quodam etiam modo nobilior Terentii locutio omnibus ſemper eſt viſa; quæ res una fortaſſe in eam opinionem homines induxit, ut ejus fabulas magna ex parte a Lælio, atque Africano expolitas, vel etiam confectas eſſe ſuſpicarentur. Comœdiam ſubſequitur Tragœdia, etſi ſcio alio ordine hanc natam eſſe. In hac autem ſi meum judicium libere proferam, vereor magnopere, ne contra multorum ſententiam ſatis id poſſim ſuſtinere, atque probare. Nam ſecus, quam ego ſentio, multis jampridem perſuaſum eſſe intelligo. Sed, ne ab hoc quoque deterrear, Navagerius efficit, qui Terentio hoc modo, poſt multa ſecula, adverſus multorum ſententiam in Comicis locum ſuum præclare reſtituit. Secum igitur in hoc genere fabulæ plerique peſſime actum eſſe graviter queruntur; neque id tantum Tragicorum paucitate, qui ad unum ex frequenti numero ſunt redacti [id enim incommodi cum multis aliis artibus illi commune accidiſſe, aliquam conſolationem habere poſſet] ſed quia, qui reliquus eſt Seneca, ita ejus ſcripta improbantur, ut ne digna quidem ſint, quæ perlegantur, ne dum in ullum eum Tragicorum numerum perduxerint. Utrum autem id ita ſit, jam videamus. Tria ſunt, quæ Tragœdiæ maxime conveniunt; expectatio, geſtio, exitus; horum nihil in tot hujus Tragœdiis deſiderari videtur. Summam enim hic auditori cum magnarum rerum excitat expectationem, tum illum uſque eo ſuſpenſum ſuſtinet, ut, quorſum tantus apparatus prius, quam ad rem ipſam ſit perventum, minime ſentiatur. Quod autem ad rei geſtionem pertinet, aut ea verbis tantum explicatur; aut etiam re ipſa oſtenditur, & ut vera ante oculos geritur. Dictionis id quidem genus eſt, quod ſatis tolerabile eſſe videatur. Certe quicquid habet minus purgatæ locutionis, & illi ætati, & ejus fortaſſe nationi potuit condonari: aut tanti omnino eſſe non debuit, ut quæ ejus cætera multa ſunt optima, tam inique ex hominum lectione quaſi delerentur; præſertim cum locutionis rationem pœne totam aliunde petendam eſſe præcipiamus. Alterum erat,

cum

cum res ante oculos, ut eſt prius vere geſta, iterum quaſi vera geritur; in quo neque hic exlex, aut temerarius eſt actor. Nam etſi Medeam coram populo necantem filios inducit; item Herculis a patre furenti ſagittis confoſſos; licere hoc quoque per fabulæ legem, ſunt qui graviſſimi teſtentur Auctores; & qui Græcam ſcripſere fabulam, hoc ſuo arbitratu factitaſſe conſtat. At Horatius in Latinis aliter ſenſit. At etiam rectius ſenſerit, & naturam ſuam, & fortaſſe etiam ſua tempora ſecutus, ab horum ſpectaculorum immanitate abhorruerit; ſubſecuta eſt alia ætas, atque alius Scriptoribus animus eſt datus. Certe neque Horatio injuriam, neque mihi novam legem facio, ſi ad duarum legum alteram ſubſcriptionem meam accommodo, ejus non ſequor. Quaſi vero & Terentius a Comicorum lege non interdum recedat, & non in fabulam bonam meretricem, ſocrum nurus cupidam, ac prorſus alienas perſonas ad quoddam certum tempus minime inepte introducat. Exitus autem is eſt, qui maxime Tragœdiæ convenit, luctuoſus; quin etiam ſi paulo lætior adhibeatur, non is tamen eſt, quo minus fabula probari poſſit. Tragœdiæ una gravitas maxime propria eſt: hæc autem aut perſonis, aut re, aut verbis ipſis contineri, atque præſtari ſolet. Quod autem ad perſonas, eæ quidem in hunc ſunt inductæ, quæ Tragœdiis conveniunt, Regiæ, magnæ, quæque recte commiſerationem commoveant, atque horrorem incutiant. Neque enim hic homines juſtos in calamitatem aliquam incidiſſe facit; neque contra qui iniquiſſimi, ut beati; quin, ut ii ſuo ſcelere miſerabiles fiant, inducit. Res autem niſi ea quoque, quæ Tragœdias excitet. Poſtremo vero ſic graviter agit, ut neque rei verba, neque verbis res perampla deeſſe videatur. In re enim horribili ubi ejus oratio non gravis? ubi non triſtis? ubi non atrox? ubi autem remiſſa? ubi læta? ubi placida? ubi denique cum re tota non conſentit, atque convenit optime? Tragœdiæ vero gravitatem, de qua nunc agitur, adjuvari in primis gravitate ſententiarum nemo non intelligit. Quis autem uno Seneca in ſententiis eſt crebrior? quis etiam gravior? cum in eo quot verſus, tot pene graviſſimæ ſententiæ numerentur, eæque omnes & ſuo loco, & cum dignitate poſitæ, atque dictæ ſint? Quanto Tragœdiæ ſcriptor magis miſericordiam auditori commovebit; quanto rem cru-
 delio-

deliorem, ac magis atrocem faciet; tanto ab eo majorem ſibi plauſum excitabit, tantoque ejus gratiam inibit æquiorem. At Seneca cum id exequitur, uſque eo partem illam integerrime præſtat, ut miras inter queſtus acclamationes auditori ſuo commoveat. Quin etiam, ſi tantum legatur hujus fabula, neque ullo ſpectaculo in ſcenis agatur, ejus tanta eſt virtus, ut etiam, qui legit, is ita commoveatur, ut ſi vere ea, quæ legit, geri videret, atque ante oculos poſita cerneret, gravius affici non poſſet. Chori in Tragœdia niſi cum re ipſa conſentiant, niſi pleni ſint ſententiis, niſi æque ſcelus, atque dignum eſt, lamententur, aut contra, virtutem laudibus efferant paribus, ii vitio aliquo carere non poſſunt. Ubi autem hic noſter legem eam non diligenter cuſtodiverit, ac religioſe conſervarit, ubi non ea omnia cumulate præſtiterit, ubi aliquid admiſerit, expecto, qui me doceant. Quod tantum abeſt, ut facile poſſint, ut [ſi cum hoc aliquando æquiore agant animo] in iis ipſis choris ſcribendis noſtrum Græcos omnes, qui extant, ſuperaſſe fateantur, neceſſe ſit. Id vero mihi in hoc viro permirum videtur, quod, cum tot fabulas, eaſque tam copioſe omnes perſcripſerit, novus tamen ſemper appareat, nunquam ſui ſimilis, neque qui, quod a ſe antea ſit dictum alias, in alium item mutuetur locum; ut quaſi amnem imitetur, cujus idem perpetuus ſit curſus, quæ tamen aqua ſemel præterlapſa eſt, numquam relabatur. Ut inique, atque haud ſcio, an impie iſti facere videantur, qui tam ob parvam cauſſam unicum Poetam ne legendum quidem eſſe contendant. Siquidem totum hominem leviſſima de cauſſa prorſus tollere, belluarum magis, quam hominis eſt omnino. Equidem, cum in hoc genere plures ſcripſerint, cæterique omnes prorſus interierint, reſque Tragica ad unum redacta ſit, huic, cui melior fortuna pepercerit, ab hominibus quoque parcendum, atque, in quo eum fortuna poſuerit loco, in eo ab iis quoque retinendum eſſe, facile cenſeo. Jam vero Catullo in eo genere carminis, cui ex ſyllabarum numero Hendecaſyllabo nomen eſt inditum, ne primas facile concedam, ii efficiunt, qui in obſcœnum Deum tam laſcive, tamque urbane jocantur. Sed poſt eos, vel una etiam cum iis, primum locum per me quidem licet ut teneat. Perfalſe enim, & facete genus illud omne pertractat. Dii

fa-

facerent, ut ejus opus tam integrum haberetur; quam ipse in dicendo pene nihil omisit, quod esset desiderandum. At aliter sensit Joannes Pontanus: & quidem mihi gravissimus Auctor opponitur, cujusque in eodem numero versiculi mihi maxime arrident. Bellissime enim etiam ipse jocatur, & urbanissime; sed vereor, ne ad nimiam mollitiem se se demittat. Venustatem quidem magis lascivientem, quam ex aliqua parte gravitatis dignitate temperatam, non dissimulat. At Marullus ejus æqualis in eo quoque carminum genere gravior & numero, & verbis, & sententiis est versatus. Nec noster Gregorius Lilius, ut est a podagris membris omnibus captus, etiam dum minus feliciter versatur. Primum autem locum in Elegia Tibullum scribendi suavitate sibi vendicare putamus. Neque sit nunc, qui cum illo aut Ovidium, aut Propertium conferat; quorum uterque omnino quasdam Elegias conscripsit, quæ non admodum contemnantur. In cæteris vero, quorum longe major est numerus, alter aut se justo demissius agit, aut ita, cum numeri, tum verborum nullo prorsus delectu habito, versus pangit, ut sæpius quicquid in buccam in carmen conjiciat; alter vero, aut rei difficultate, aut numero quodam asperiore paulo horridior habetur; cum in Tibullo pene lectissima omnia, & propterea etiam facillima legantur, cadantque ita ejus numeri leniter, ut magis concinne cadere non possent; ac, in quo primam laudem acquirit Elegia, hic ita apte vagetur, itaque composite diversa connectat, ut in re multiplici, ac pervaria integrum tamen ac perpetuum, quam longum est, filum existat. Quod Franciscus Molsa planissime sensit, qui ad hujus imaginem optime omnium versus faciebat. Horatius in duobus carminum generibus egregige versatus est, Lyrico, & Hexametro, non illo quidem graviore Heroico, quo divinus Maro, sed quo utimur commodius, aut cum ad absentes amicos scribimus familiariter, aut cum præsentes modestissime corrigimus: in quorum utroque, qui illi similior esse studebit, recte probabitur: ut in Lyrico meus Flaminius; tametsi nimis cito artem illam desivit. In illo vero altero, in quo ita laxis numeris adstrictam orationem incedere dicebam, ut pene libere ingredi videretur, Bonamicus, Lampridius, Priulus; qui tamen & ipse alio hæc studia convertit ad sanctiores literas; necnon etiam Manutius no-

ster, qui egregie eo quoque numero ad amicos scribere consuevit. Sed quoniam in hac quoque parte dupliciter versari dictum est Horatium, & cum ad absentes scribit, & cum agit coram, nolim in hoc, quo præsens oratio refertur, quispiam mihi Juvenalem audeat objicere. Nam Persium nihil vereor. Nam cum ad castigandum, quod in eo fit maxime versuum genere, quæ viæ sint omnino, is aut judicio non sano, aut natura prava ductus odiosiorem sibi delegit, quæ est, ut perpetuis jurgiis, ac pœne metu proposito peccantem ad sanitatem traducere conetur; in qua accusandi ratione ita sæpius acrem castigatorem, atque asperum agit commonitorem, ut magis ad gravius delinquendum, ac etiam ad desperationem reum impellat, quam ut suorum scelerum quicquam aut pudeat, aut pœniteat. Ac ne te multis teneam, cui non id elatum nimis, vel, dicam, insolens videri potuit, unde exorditur?

Semper ego auditor tantum? nunquam ne reponam?

At noster usque eo leniter suum castigando adigit, ut is lachrymas præ pudore non teneat; seque eo, in quo admonetur, oderit plurimum; quod quidem patris est; illud magis domini interesse videtur. Ad hæc illud accedit, quod in Latina locutione ille recentior huic Romano concedat, oportet. Quonam tandem, inquit ille, Ovidium mihi reponis? Num hic ex tot voluminum aliquo inter tuos recenseri commeruit? an prorsus, ut qui ad imitandum nihil conferat, rejicitur? Hunc equidem, quod videam, ex Heroidum epistolis [ita enim inscribitur illud opus] atque ex Transformationibus possum in aliquem locum recipere, quo dignus sit, quem imitemur. Sed hujus ipsius Medeam audio a summis Viris omnibus in Cœlum tolli; ea si umquam in lucem prodierit, fortasse locum illi alium impetrabit. Jam vero a Lucretio, si quis aut de Anima, aut de rebus Cœlestibus, ac naturalibus aliquid versibus agendum esse constituit, imaginem eam sumere licebit: ut nuper Aonius tribus de Anima libris optime perfecisse judicatur; qui totum ejus numerum ita effinxit, ut mihi pene Lucretium alterum, cum eum lego, legere videar. Ac quoniam fere nemo est, qui, modo primas syllabas attigerit, non audeat aliquid in Epigrammate jocari, ac perpauci, mea quidem sententia, ita scribant, ut iterum legi possint, his quoque

ma-

maxime providendum est, ut habeant, quo recte imitando se se recipiant. Hanc autem palmam sunt, qui Catullo constanter deferant; sed is quodam suo numero nimis delectari videtur, qui næ mihi quoque probatur, si sua sponte veniat; sed vereor, ne vi sæpius coactus trahatur in compositione; certe conquiritur diligentius, & propterea etiam laboriosius connectitur, atque non facilius comparatur. Longe vero major eorum est numerus, quanto etiam ignarior, qui in hoc genere Martialem sequantur; de quibus nihil aliud dicam, quam id eis facere sine rivali per me quidem maxime licere. Equidem illos soleo, quicumque ii fuere, qui cum Virgilio in obscęnum Deum tam erudite, tamque eleganter lusere, cæteris ejus generis Scriptoribus facile anteferre; idque jure optimo facere videor; quippe qui & inventione minime vulgari, & dictione, quæ germane Latina sit, æque reliquis antecellant. Quod unus Navagerius & vidit primus, & omnium imitatus est optime. Tria mihi adhuc restant, quibus similitudinis imaginem in Poetis attribuam, Bucolicum carmen, grandius illud Heroicum, ac quasi bellicum, &, quod inter horum utrumque interjectum est, mediocre. Quam trifariam imitandi rationem Maro nobis unus cum abundantissime, tum luculentissime suppeditabit. Hic etenim in unoquoque sic versatus est, ut in singulis omnibus egregie præstiterit. Nam cum videret quantam universa Græcia ex tribus præclaris Scriptoribus, Theocrito, Hesiodo, atque Homero gloriam consequeretur; minime contentus, si eorum quemvis in suo genere tantum æquasset, omnia unus in se experiri est ausus; quod quidem ingens onus ita validis humeris sustinuit, ut quo Græci suum singuli, ac per se quisque, hic solus tria illa scribendi genera fortiter, ac summa cum omnium laude in Latium provexerit. Siquidem in pastoritio carmine, humili atque demisso calamo omnium optime est usus; quas mansuetiores Musas suo loco, atque ordine res rustica temperatius excepit; a qua discedens divina illa divini hominis tuba altius carmen intonuit, cum Heroicas virtutes, atque arma invicta iisdem perpetuis versibus gravissime est persecutus. Sed de Poetis hactenus: jamque ad institutum nostrum redeamus. Hi sunt igitur Scriptores, qui suo quisque genere maxi-

me probentur, quosque ipsi ex bonorum omnium sententia sequendos esse statuimus; qua vero id ratione fieri debeat, deinceps altero, & tertio libro planissime [quemadmodum arbitror] demonstrabitur.

BARTHOLOMÆI RICCII

DE IMITATIONE.

AD ALPHONSUM ATESTIUM PRINCIPEM,

LIBER SECUNDUS.

PRoperanti mihi, Alphonse Princeps, ea, quæ scribere instituerain de imitatione, hoc secundo libro absolutius explicare, in mentem venit vereri, ne mea hæc omnis opera frustra sumeretur, neve cultius dicendi genus antequam ad suum summum perveniret, aut meo, aut quovis etiam majore studio contineri posset, quin præceps ad suum interitum collaberetur. Nam cum duæ viæ sint omnino, quibus hæc facultas & conservari, & augeri possit; docendi una; scribendi altera; in neutra a nostris satis profici, ab adversariis autem omnia præstari planissime videbam. Nam qui ex nostris optime docere sciunt, aut ejus studii laborem summum, aut indignitatem non minimam diutius ferre non possunt. Si quis vero, cujus res minus lauta sit, ac personæ ratio eam indignitatem nihil vereatur, huic facultati opem aliquam ferre studet; continuo tot illi adversa objiciuntur, ut ab incæpto desistere cogatur. Nam præter mercedis exilitatem, quæ etiam in frequentissimis Civitatibus multo, quam par est, semper minor extitit, ea quoque quam angustissima aut suo tempore non dissolvitur, aut etiam interdum improbissime abnegata intercipitur; cum ex iis quoque, qui docent, multi sæpe stultorum Civium improbitate, atque ignorantia, qui Auctorum eorum interpretationem ab eis postulant, qui pejus de sermone Latino mereri non possent, potius, quam id sceleris in hanc admittant, ludos deserunt, sese in otium conferunt, a publico illo munere abstinent. Sed quod nobilissimi artem hanc non profiteantur; mediocres autem hanc ipsam multis ra-

rationibus deserere cogantur; gravissimum id est quidem, verum multo id gravius, multoque lethalius vulnus est, quod ab iis, qui perpetuo, ac, quæ pessima sunt, docere nihil verentur, huic facultati crudeliter infligitur. Nam cum Civitates humaniorum studiorum magistris prorsus carere non possint, eos ex eorum numero suis ludis præficiunt, qui plerumque in iis pessime versantur; quorum qui cum Auctores, quos in scholis fœdissime interpretantur, tum etiam quam viam in docendo ineptissimi sequantur, pudet referre. Ex quo tanta eloquentiæ calamitas injicitur, tantus morbus, tantum, tamque præsens venenum in totum ejus corpus diffunditur, ut sexcenti Cicerones eam ad incolumitatem restituere non possent. Quæ quidem publica pestis usque eo jampridem emanat, ut privatas etiam ædes sua contagione fœde coinquinet, atque pestilenter inficiat. Quis enim hodie apud primarios Cives eorum liberos docet, nisi qui aut Legulejus, aut Medicus futurus sit? Quibus quid tandem cum bonis literis, atque cum eloquentia esse possit, ipsi, quorum res agitur, viderint primarii Cives. Equidem, qui operam dat, ut Cytharœdus fiat, quomodo Rhetoricam alios docere possit, non satis video. Quid vero, quod, si qui [ut hic quoque nostrum incommodum attingam] adolescentes hisce humanioribus studiis maxime delectentur, ac brevi in iis plurimum sint progressuri, copiasque nostras maxime cum docendo, tum etiam scribendo sint adaucturi, continuo eorum parentes rei augendæ, quam orationis expoliendæ multo avidiores, eos ad alias facultates, & a paleis [ut ipsi dicunt] ad grana compellunt colligenda? In quo ipso quantum de viribus nostris detrahi, tantum adversariorum vires adaugeri sentimus. Atque hæc, quæ ad eos, qui docent, spectant. Nunc vero de iis, qui scribunt, pergam absolvere. Qui igitur scribendo se magis exercent, continuo neque ii sua quoque difficultate, quam ob rem id officii minime præstare possint, carere videntur. Nam cum ad illud otium multa sint necessaria; neque illi tamen ex suis scriptis aut ullam, aut satis exiguam utilitatem percipiant, aut a scribendo prorsus cessant, aut parum omnino scribunt, idque sæpius secum interire sinunt. Sed cum his paulo liberius etiam agatur. Res eis undique abunde sit, scribant, inquam, isti, & commode etiam scribant; innumerabilia

con-

conficiant volumina; gloriam suam adament; quantum tamen scriptio valeat ad hanc, quam quærimus, summæ eloquentiæ opem ferendam, jampridem cognitum est; cum Ciceronis ipsius divina illa tot scripta multa sæcula jacuerint contemptissima; idque in ea Civitate, in qua & nata, & alta, & diu feliciter dominata esset eloquentia. Tametsi multis ii plures sunt partibus, qui eo modo scribunt, quo infantes, quo barbari, quo ineptissimi. Nam [ut Philosophos, ac Medicos omittam] quorum alteri aut suo Marte, atque ingenio de Philosophia scribunt, aut veterum Græcorum scripta Latina se facere arbitrantur, cum in suam linguam ea convertunt; qui quam id spurce, atque contaminate faciant, nihil attinet dicere. Res enim ipsa se indicat. Alteri vero in suis pharmacis scribendis, aut etiam in disceptando, utra salubrior medicina adhibeatur gravissime ægrotanti, aliquando pestilentiori oratione utuntur, quam morbus ipse est, cujus curationi ipsi sunt adhibiti. Ac ne quid eos etiam attingam, qui Historiam scribunt, qui, uno, aut altero excepto, ita in ea infantes sunt, ut vel puer trimus infantior esse non posset; ut hos, inquam, omittam, ac tantum Jurisconsultos commemorem, non ne continuo horum de Jure consiliis, non legum ipsarum explicationibus omnes Bibliothecæ sunt plenæ, atque oppletæ? Horum certe multo plura sunt, quam cætera omnia, ceterarum facultatum volumina; quæ tam pessime scripta sunt, quam eorum leges sunt sanctissime perlatæ. Non enim ii solum impurissime scribunt, sed legum etiam splendidissimis voluminibus suapte barbarie tantum officiunt, ut non solum non intelligantur, sed pene jam legi sint desitæ. In uno eo nobis optime consultum est, quod, qui testamenta, qui pacta, qui conventa, qui cætera ejus generis stipulantur, quorum turba maxima, atque in officio suo maxime frequens est, sua scripta, suas barbaries, suos contractus non edunt, non publicant, non [ut cæteri faciunt] in omnium hominum manus emittunt. His enim unis, si publice describantur, non solum de eloquentiæ omni dignitate, sed de omnibus etiam literis Latinis jampridem actum esset. Qui etiam [si Diis placet] dedita opera omnem operam dant, ne Latinam vocem ullam in suis scriptis proferant; contra omnia barbara, inquinata, immunda summa de indu-

duſtria in ea congerant. Quantum autem ab Italica lingua [ut de noſtris tantum agam] damni ac calamitatis jampridem huic invectum ſit, atque adeo in dies invehatur magis, difficile eſt dictu. Siquidem in nobiliſſimis Civitatibus jam publicæ Academiæ celebrantur, quæ ad Italici ſermonis rationem omnes diſciplinas traducere conantur; & ex omni ordine multi reperiuntur, qui quæ Latina ſunt, in ſuam linguam convertere non ceſſant; eoque jam ventum eſt, ut multa Ciceronis volumina confecerint, ex quo uno tanto, tamque nefario ſcelere non ſolum eloquentiæ, ſed Latinæ rei literariæ univerſæ crudele exitium afferri videtur. Non enim jampridem multi deſunt, [ut illud iſtis etiam condonem, quod ſua iſta convertendi ratione optimos Auctores miſere dilacerent, ac immaniter diſcerpant] qui cum ignorantiam ſuam ſic excuſant, tum etiam laborem hunc fugiunt. Quid nobis jam tantum ſtudii, & laboris ponendum eſt in Latina lingua perdiſcenda, cum jam in noſtra habeamus multa, ac brevi ſimus cætera habituri, quæ Latina ſunt omnia? Neque vero id huic ſatis commode accidit, quod, ſi qui omnino ex noſtris, aut fideliter docent, aut perpetuo ſcribunt, ii brevi, ac ſubito [ut etiam iniquo Cœlo hæc uti videatur] de medio auferuntur, atque hanc cum ſua vita, quaſi in medio deſerunt curſu. Occidit Chriſtophorus Longolius, Petrus Alcyonius, Andreas Navagerius, Julius Camillus; qui ſoli quatuor Viri, ſi vitam ſuam, quantum potuiſſent, longius produxiſſent, [neque enim admodum natu grandiores deceſſere] multo altius eam extuliſſent, quam quo nunc ſita eſt loco; cum etiam contra, qui inepte, qui inquinate, qui barbare & ſcribunt, & loquuntur, Neſtoris annos vivendo ſuperent, atque ita ſuperent, ut viribus omnibus ad ultimam ſenectutem commodiſſime utantur; an abutantur magis? Poſtremo vero id accedit, quod multo id amplius eſt, quod ei reſtat ad ſuum ſummum aſcendendum, quam quod adhuc confecit aſcenſus; in quo uno ſuperando longe etiam fortioribus, quibus eo valide tollatur, opus eſt humeris, a quibus quam peſſime imparata ſit, jam omnes videmus. Quæ cum ita ſint, ut prope omnia maxima adverſa; nulla niſi parva, debilia, caduca noſtræ parti accidant, quotidieque inſurgant, qui adverſus eam conjurent, immania monſtra;

ſtra ; contra vero a ſuis aut vivis deſeratur , aut brevi morituris deſtituatur, ac huic ad eam perfectionem, quam deſiderat, multum abeſſe videatur, nihil mirum cuiquam videri debebit, ſi ego id magis veritus ſum, ne hæc rurſum ad imum revoluta celerius relaberetur, quam , ut ad ſuum ſummum perveniret , ſperarem omnino. Quem tamen tantum meum, tamque juſtum metum magis mihi ad huic recte proſpiciendum , quam ad prorſus de ea deſperandum, ſuſceptum eſſe volo. Quare vos rogo, qui egregie id facere & ſcitis , & poteſtis ; Bembi , Sadoletii, Poli , Jovii , Maffeji, Manutii ; Ramberti , Navagerii alteri , Calinii , Marii , Olivii ; Flaminii , Scaligeri , Omphalii, Perionii, ſcribite, perſcribite ; huic adeſte veſtris calamis ; hanc veſtris ſcriptionibus ſuſtinete , tollite , ornate. Vos vero , Amaſeji, Bonamicii, Victorii , Lathomii , Strumii , Bocchii , Corradii , Grifolii , Palearii , Majoragii ; Jovitii , Gyraldii docete pariter , & ſcribite ; viam aliis commonſtrate ; eos etiam non ad parvum itineris ſpatium comitamini , ac quaſi de veſtro lumine lumen aliis accendite. Conſpirent, qui boni ſunt, ubique docendo, atque dicendo in hujus ſanctiſſimæ Reginæ Remp. conſervandam , omnem operam, curam, diligentiam in hac una augenda , atque latius propaganda ponant , atque defigant . Equidem, quantum in me erit , quod ex APPARATU meo videre videor aliquid omnino eſſe ; curabo , ne id a me ulla ex parte deſideret. Nam & docendi , & ſcribendi , quamdiu mihi licebit , officio perfungar. Nunc autem , quod exorſus ſum, de imitatione ſcribere pergam, ut prorſus abſolvam. Cum igitur tria ſint, quæ univerſam eloquentiam conſtituant ; inventio , diſpoſitio , locutio ; totidem etiam in rebus imitationem verſari neceſſe eſt. Primum enim ad optimi alterius rationem inveniendum eſt ; deinde quicquid inveneris , recte , atque ordine conſtituendum ; poſtremo , ut eloquaris, accurate laborandum . Nam ſive invenias quid , ſive id inventum conſtituas , ſive poſtremo eloquaris ; certam in omnibus viam ut habeas , ad cujus rationem ea omnia peragas , in primis erit tibi diligenter providendum. Quod quemadmodum in omnibus faciendum ſit , hoc ſecundo , & toto tertio libro abunde explicabitur. Sed quoniam res omnes aut eædem ſunt omnino , aut ſimiles , aut contrariæ , continuo quæ eædem

dem sunt prorsus, neque inter se quicquam discrepant; nihil ab imitatione adjuvari posse videntur. Nam rem prorsus eandem agere, quam alius agat, semper erit idem agere, numquam imitari: ut qui libros [quemadmodum dicunt] imprimit; qui quidem in suis formis componendis facile habere poterit ad cujus imaginem, atque adeo imagines, eas componat; sed cum unam [quod ajunt] torculari in folium semel expresserit, aç perget infinitas exprimere, in nullam earum ulla erit imitatio; eædem semper erunt, a prima nihil ultima discrepabit. Si quis item ita ridicule insaniat, ut Daphnidis mortem defleat iisdem versibus, quibus Maro, nec literam ullam commutet, & dicat, se Maronem imitatum esse, quis hunc continuo in centum non conjiciat Anticyras? At mutet, addat, detrahat, jam tum sui aliquid habere poterit; verum si quid simile, aut contrarium transferat, tum prorsus imitatoris nomen assequetur. Nam cum omnis res aut simplex, aut multiplex sit, in multiplici tantum imitatio dari videtur: ut in inveniendo, constituendo, loquendo; quoniam non uno modo invenimus, constituimus, eloquimur: in simplici autem non ita. Nam quæ simplex sit res, potest illa quidem aliunde ad se conficiendam imitationem sumere, a se autem ipsa, si iterum agatur, nullam. Una tantum Latina sit lingua, eaque [ut rectius illi ominer] optima: qui ea lingua loquatur, quia sola sit, in ea nullam habebit imitationem; sed tantum Latine loqui dicetur. At sit [ut est] multorum generum; sit gravis, sit tenuis, sit, quæ horum inter utrumque posita est, mediocris, volubiliter fluat; interpunctis, atque interspirationibus distinguatur, pura sit, atque lenis: contra etiam, dura, severa, & si quæ alia sunt genera: cui horum se quis addixerit, recte imitator dicetur; quoniam illud probarit, cætera contempserit. Sed quoniam crebro nobis accidet, ut, quæ dicta sint prius, eadem sæpius dicenda occurrant; qua id ratione recte fieri possit, locus postulat, ut pluribus explicemus: tametsi, cum de locutione agetur, multa etiam restant dicenda. Qui igitur in eo argumento versabitur in scribendo, quod ante eum quispiam alius occuparit, ac suum sibi usu vendicarit, aut id aliena, aut ea ipsa, qua is id persequitur, lingua, erit ei faciendum: si in aliena id faciat, aliquo modo faciliorem, ac magis

tu-

tutam scriptionem suam habebit omnino. Nam si quid ex ea in suum ipse usum, ac commodum paulo liberius transtulerit, non continuo omnium accusatio, neque reprehensio ei subeunda erit: quando legenti altera fortasse lingua minime nota esse poterit. Deinde vero, quod jampridem bonorum more, atque consuetudine id videtur sine ulla offensionis culpa fieri posse: quemadmodum cum Græcis Plautum, & Terentium fecisse constat, qui in suas Latinas fabulas ex Græcis fabulis locos integros transferre non dubitarunt: quin eorum etiam alter ex duabus Græcis unam suam Latinam aliquando sibi effecit integram; clamet ille usque licet furem, non Poetam fabulam dedisse; hocque magis esse contaminare, quam scribere fabulas, insimulet: longe semper equidem Lælii, & Scipionis judicium, quam veteris Poetæ obtrectationem, fecerim pluris. At Maro nimis frequens in Homero est, nimisque apertus, qui partes ad verbum pœne innumerabiles in suam Æneidem transferre non dubitavit; ut in Æneæ tempestate, quam totam ab eo surripuisse criminantur. Neque item Cicero non ex omni Græcia, quicquid ei libuit, minus in sua scripta compilavit. Recte sane uterque & prudenter. Sed multo etiam plura sumpserit Maro [neque enim illum umquam surripuisse fatebimur] tam id apte, tam cum re sua, tam cum natura facit, ut potius ex eodem fonte, unde etiam Homerus, quam ab ullo Græco exhausisse, dicendus sit. Ac quod ad tempestatem attinet, mihi noster in ea optime & fingenda, & describenda, non solum nihil ab Homero sumpsisse, sed eum etiam longe superasse videtur. Quid enim, quæso, horridi habet Ulysses, cum naufragus ad litus natans ejicitur? Nam cætera sunt, ut in tempestate, placidissima. At noster in ipsius etiam tempestatis apparatu legenti terrorem incutit: in re autem ipsa [Dii boni] quid horridius? quid miserabilius ab eo carmine,

Talia jactanti stridens Aquilone procella,

usque eo, cum Neptunus mare totum cieri sensit, aut scribi, aut fingi potest? Nisi isti naturam ipsam, quasi Alexandrum imitantem, sibi effingant, qui uti se a solo Apelle, sic hæc ab Homero tantum, quicquid mirum ediderit, depingi patiatur. Hoc item modo de Cicerone est dicendum, qui, quod a Græcis sumpsit, non tam id

ad

ad Latinam orationem locupletandam, quam etiam ad id ipsum, quam Græci ipsi, splendidius ornandum, sumpsisse constat. Quorum ego & judicii, & doctrinæ facile principum Virorum sententia tantum abest, ut de hac mea quicquam decedam, ut in ea magis confirmer, atque constituar validius. Neque hoc solum, quod ex alienæ linguæ particulis quibusdam etiam cum dignitate sumi potest, bonorum testimonio fieri comprobamus, sed totum etiam rei, quantum est, argumentum, vel unius, vel multorum id sit Auctorum, in nostram orationem transferri posse, bonorum item exemplo constanter asseveramus. Plato Dialogum de amicitia scriptum reliquit; Latina oratione eam quoque partem integram Ciceroni placuit illustrare; in quo studio quid vitii contraxerit, ne Græci ipsi umquam dixerint. Aristoteles, & Panætius de officiis cumulatissime scripserunt. Tantum abest, ut horum auctoritate Cicero quicquam ab iis ipsis scribendis officiis deterritus sit, ut nihil illis scripserit splendidius, nihil effecerit absolutius. Quæ tamen scribendi facultas universa duas in primis cautiones habere videtur, ne prorsus in ea quisquam furti nobiscum agere possit. Una, si quicquid ad aliorum æmulationem tractandum sumpserimus, id inventione locupletius efficiemus; altera, si nostro id instituto, atque ordine prosequemur meliore. Theocritus Pharmaceutriam, hoc est, *excantationem amatoriam*, scripsit. Idem Maroni aliquando efficere usus venit: in quo argumento noster longe melius versatus est. Nam, quod ad inventionem attinet, sæpius inania, ac puerilia Theocritus garrit; Maro autem non, nisi quod se maxime deceat, agit. Pari autem ratione fit in ordine, in quo noster magis appositus esse non posset; cum Græcus inconstanter agere videatur. Quin illa quoque, si quæ ex eo Maro mutuatus est, ita commode, itaque apposite suis adjunxit, ut ea potius in suum locum restituta, atque repetita, quam a quoquam ablata, atque accepta esse videri possint. Si vero in eadem lingua sit idem argumentum, & materia pluribus explicanda, id quidem non parum erit adjumenti, si alius versibus, alius ea oratione, qua vulgo loquimur, solutiore, illud dicendo exornet; modo dictionis genus ea facultas recipiat, atque in se admittat: quemadmodum cum Catone, ac Varrone Virgilium in re-
ru-

rustica fecisse manifesto apparet. Nam qui Historiam versibus scribant perpetuis, non satis commode, atque ex usu facere videntur; sicuti etiam neque adhuc, qui eam Dialogo persequatur, quisquam est inventus. Huic autem integrum arbitror futurum, utrum, quam ipse sibi commode constituerit, an eam, in qua non inepte versatus sit alius, viam persequi malit; modo Latine, modo ornate, modo splendide, quantum rei dignitati conveniet, explicet, atque eloquatur: etsi propria magis omnino tuta videtur ad furti suspicionem omnem devitandam. Verum si paria sint omnia, res eadem, lingua, & orationis genus non dissimile; continuo aut cum iis Scriptoribus nobis res erit, qui in ea non omnia viderint, qui in constituendo parum egerint apte, qui denique nullo pronunciarint ornatu; aut qui hæc omnia egregie præstiterint, ac nihil omiserint, quod cuiquam desiderari possit. Cum superioribus longe nobis erit facilior quasi concertatio. Relinquetur enim semper pars non exigua, in qua aut inveniendo locupletiorem, aut instituendo compositiorem, aut dicendo magis illustrem orationem nostram comprobemus. Ut si quis Pictor, quemadmodum apud Herculem Patrem tuum factum vides, Gigantum bellum adversus Deos penicillo rudi, atque impolito informet, quod postea doctior manus excipiat, atque addendo, componendo, colorando longe admirabilius, magisque conspicuum effingat, atque exprimat. In quo uno efficiendo, qui doctiorem manum adhibebit, plurimum in eo adjumenti sibi relictum esse sentiet; quod, quem facile superet, propositum habebit adversarium. Romulum Amasejum, quem Virum jam sæpius honoris caussa nomino, cum Bononiæ ejus auditor essem, in hoc genere studii sum admiratus. Nam quoties inter explicandum [ita ut fit] Historiæ pars aliqua in præsentem partem incidisset exponenda, etsi in omnibus ille sui quidem semper erat simillimus, verum si eam tamen ex aliquo Scriptore minus eleganti, atque impolito, ac parum etiam composito sumptam habuisset, quantum eam cum apte instituendo, tum omni elegantiæ splendore dicendo illustraret, atque componeret, dici non potest. Sin autem prudentissimus Scriptor, quique aptissime constituat, atque splendide eloquatur, locum nostrum prius occuparit, eumque ita totum communiverit, itaque suum effecerit,

cerit, ut nullus acceſſus, nulla ad eum accedendum pateat via, neque ad eum jure æquo repetendum actio ulla nobis relicta ſit, res ea quidem primo aſpectu duram, atque difficilem videbitur habere tractationem; ſed non ejus tamen erit negotii, ut ego, & poſteri mecum omnes quicquam deterreamur, quominus de ea, quoties uſus veniat, vel commodiſſime verba facere poſſimus. At ſi Cicero Virum fortem laudarit, ac omnes ejus laudes [ut cætera omnia] & inveniendo argute, & inſtituendo compoſite, & dicendo luminoſe expreſſerit, atque illuſtrarit, ſi acciderit, ut tibi idem faciendum ſit, non continuo hærebis? non quid prius, quid poſterius dicas, aut quomodo id dicas, dubitabis? non etiam, atque etiam vereberis, ne ad eum, tanquam ad ſcopulum aliquem, dictionem tuam illidas? Rem equidem, ſi negem, ſummam difficultatem habere, ac in perangusto videri verſari loco, imprudens ſim, niſi etiam impudens. Multum eſt enim, atque adeo plurimum, ſi quis intelligens fructuum, prius in pomarium veniat, ac ei libera facultas data ſit, ut inde unumquodque, quod ei belliſſimum videatur, ad menſam ſuam cohoneſtandam deligat, atque decerpat. Sed cum res tamen rectius conſideratur, minime ſe talem interius probat, qualis extrinſecus apparet omnino. Siquidem tanta vis honeſti, tantaque rerum omnium copia eſt, tam multiplex conſtituendi ratio, tam eloquendi varia, atque ampla facultas, ut ſemper aliquid, atque adeo multum relinquatur, quo ſumma cum dignitate aut inveniendo, aut inſtituendo, aut dicendo pro noſtro uti libere poſſimus. Nam quod ad rem inveniendam pertinet, qui quæſo tam a recta mente aberrabit, ut quæ cujuſque rei dicenda ſint, omnia excogitare, omnia videre ſe poſſe fateatur? non multa, atque etiam interdum non peſſima ſe ſuſpicetur omiſiſſe? Equidem antequam hæc hominum nova inventa ſcirentur, tormenta [ut ita dicam] militaria, navigandi certa illa in omni tempeſtate locorum ſcientia, librorum deſcribendorum ars uberrima, avium ex avibus & natura, & artificio inimicis Regiæ venationes, vitrei quaſi oculi, temporum per horas ex ſonitu certiſſima dimenſio, ex ephippiis certus pedum appenſus locus, & cetera ejus generis prope innumerabilia, a recentioribus hominibus cum ad ſummam hominum voluptatem, tum

ad

ad maximam utilitatem excogitata, hæc, inquam, quamdiu in hominum ignoratione latuere, ut nulla in tenebris jacuere; ut vero in lucem hanc, atque in usum humanum doctissimorum hominum studiis venere, ita uno omnium Gentium consensu in Cœlum tolluntur, ut cum antiquitate certare, nisi eam etiam superare posse videantur. Arcum vetustas ad longiorem, atque vehementiorem ictum excogitavit: recentiores id tormenti genus, quod *balestram* vulgo appellant, ad eum adjunxere: nostra autem fere ætate horum omnium vehementissima, quæ sua item lingua vulgus varie *scopetum*, aut *archibusum* appellat, nec non reliqua ejus generis grandiora tormenta, cum ad maximam in conflictu stragem edendam, tum ad Urbium ipsarum mœnia impotentius verberanda, ac demolienda sunt adinventa. Quorum item omnium primo vis ignea lentius se se agebat, ac ante, quam pilulam suo illo impulsu emitteret, quasi suo lumine, ut eam devitaret, hosti commodius significabat: nunc autem eo processit id artificii, ut prius mortem sentias in latus, quam ignis lumen ullum videas; ut rerum omnium fere semper aliquid superesse possit, quod prudens addat ad inventa. Ad hæc accedit, quod non una, atque eadem est omnium rerum inveniendarum ratio, & modus. Cicero Milonem cædis reum fortissima Oratione [si eam habuit integram, quæ pro Milone legitur] defendit; at Brutus idem effecisse, sed alio idem effecisse modo, dicitur; neque fortasse imperite. Quid vero si Hortensius eam quoque caussam perorasset? Num ei quasi ad alterius eorum utrius ingenium inveniendi ratio conclusa, atque circumscripta esse debuisset? ut non solum multa addi ad aliorum inventa, verum etiam alio illa ipsa modo inveniri, atque excogitari facile possint. Idem autem evenire in re ipsa constituenda neminem arbitror non videre: cujus rei Cicero nobis locupletissimus testis esse potest, qui artis præcepta multis modis tractavit, iisque omnibus quam commodissime. Pari item ratione dicendum est de elocutione; de qua in tertio libro, in quem omnia ejus præcepta sunt rejecta, abunde a nobis dicetur. Ac profecto cum posteris longe iniquius actum esset, si natura primis hominibus omnia prodidisset, atque optima quæque deprompsisset; nec, quæ ejus summa est prudentia, quicquid

providet, quicquid homini ſtudet, id omne in communem, atque æquam omnium utilitatem providiſſet, atque comparaſſet; rerum deinde ordo, atque conſtitutio nimis in anguſtum adduceretur. Eloquentia vero infans, & inops, atque ab oratione peſſime imparata eſſet, ſi unuſquiſque hominum ſenſus, unaquæque ſententia uno tantum ordine, atque una tantum ſignificatione conſtitui, atque dici poſſet. Quin etiam, quoniam paulo ante fructuum inducta eſt ſimilitudo, horum ſtudiorum alia eſt, atque cæterarum rerum copia, atque ubertas. In illis enim, quod ſemel decerpſeris, non niſi ad annum plerumque idem ſperare licebit; in his vero noſtris ſtudiis ubertatem lætiſſimam, atque perpetuam, ac ſemper æque fructibus iiſdem arborem poſſidemus incurveſcentem, ex qua quantum cuique ſatis ſit, ſua deligendi facultas permiſſa eſt. Ergo & actio in Verrem, & ſententiæ in Antonium, tota denique Ciceronis multiplex tum ſuadendi ratio, tum de moribus diſputatio, tum ad familiares, atque amicos conſcriptio [nam, quid de arte fieri poſſit, ipſe demonſtravit] perapte, neque indecore, iterum, & ſæpius tractari potuit? Quid hoc quæſo, inquam, tam mirum, ſi a veteribus, ac probatiſſimis Auctoribus aut in ſuis ipſis argumentis, aut aliena ſequentibus, eſt aſſidue factitatum; atque adeo a noſtris quotidie fieri conſtantius videmus? Num ne Salluſtius Catilinæ vitam ita plane, ita ornate in ejus conjuratione perſtrinxit, ut nihil in ea neque ad hominis mores, neque orationis ornatum deſiderari videatur? hanc tamen eandem Cicero, cum Cœlium defendit, illo ſuo ſtylo perſequi non dubitavit. Res eadem eſt. Salluſtius autem quam aptus Scriptor fuerit, nulli obſcurum eſt. Cicero vero in hac ita, quod res maxime poſtulabat, parcus fuit, ut vitæ tamen nihil omiſerit; ita ornatus, ut ejus ingentem turpitudinem quaſi dicendo illuſtraverit. Lucretius abſolutiſſimam peſtilentiæ imaginem deſcribit: non parvo beneficio Deorum immortalium extat liber: legi poteſt. Ovidio, & Virgilio idem efficere poſtea placuit; quam id uterque cum dignitate ſit aſſecutus, in medio eſt: ſuum cuique judicium ſit. Manilius Andromedis ad marinum monſtrum expoſitionem deſcribit. Idem, cum ad ejus fabulam ventum eſt, efficit Ovidius. Poſtremo omnium

mnium Pontanus hanc ipſam, cum de Stellis agit, fabulam exequitur. Doctiſſimorum hominum eſt judicium longe prioribus duobus Pontanum præſtitiſſe. Sed quid ego alterius partem tantum confero? de Stellis minime inepte egit idem Manilius. Tantum abeſt, ut Pontanus ejus ſcriptis ab eis pertractandis ſit deterritus, ut iidem doctiſſimi Viri facile judicent, longe eo Pontanum Stellas eaſdem dicendo ſplendidius illuſtraſſe. Poſtremo autem cuinam dubio eſſe poteſt, quin ego in hoc meo de imitatione ſtudio idem poſſim efficere, quod Cicero in artis præceptis effecit, ut alio, itemque alio modo hujus præcepta pertractem? ac meum etiam Lilium Gyraldium inducam, qui Bartholomæo Ferrinio, Alberto Lollio, ac Herculi Bentivolio, ut quotidie aliquid tale facere ſolet, explicet? aut denique Camillum etiam filium faciam, qui hæc eadem præcepta a me parente ſuo breviter perquirat? Sed jam ſatis, quemadmodum ego arbitror, & probatum eſt in re eadem tractanda, quam alii quoque prius tractaſſent, imitationem omnino dari nullam, & quid tum etiam faciendum ſit, ut ab omni furti accuſatione liberemur, commode demonſtratum. Sequitur autem, ut imitationis ipſius præcepta aggrediamur. Continuo igitur, quando perpauci illi quidem ſunt, qui in quaque facultate egregie excelluerint Scriptores, qui non aliquid aut culpæ, aut vitii contraxerint interdum, videndum erit, ut ejus, quem imitabimur, virtutes conſectemur: contra vero vitia, quorum facillima ſolet eſſe imitatio, perſtudioſe declinemus. Neque enim, ſi Salluſtio ſimiliores eſſe volumus, id magis ex iis vocibus, quæ illum ipſum minus interdum probatum efficiunt Scriptorem, quam ex ejus divinæ brevitatis virtute ut conſequamur, omnem operam dabimus. Neque vero Hortenſium in una cerviculæ jactatione magis, quam in tota illa divina agendi ratione referre ſtudebimus; ne coquum illum imitari videamur, qui in cœna præſtantiſſimi coqui jus tantum fervens imitatus eſt, cætera ejus condimenta ne recordatus eſt quidem. In probatiſſimis igitur Auctoribus, quando hos eſſe dixi, quos nobis ad imitandum propoſitos habere debeamus, quæ inſignia quæque admodum rara, atque inepta erunt, ea probe diſſimulabimus; quæ vero cum natura, atque uſu ipſo quotidiano recte conſenſe-

 rint,

rint, atque decorum suum habebunt, ea quisque in suum usum liberius convertet, atque securius usurpabit. Sed cum in simili, atque in contrario universa hæc imitandi facultas [ut supra est demonstratum] versetur omnino, ac tria proposita sint, in quibus rerum omnium pertractandarum ratio contineatur; inventio, dispositio, elocutio; jam separatim [etsi horum ratio ita inter se connexa continetur, ut alia sæpius ab alia vix separari possit] quid in harum quaque imitatori attendendum sit, videamus. Ea igitur inventionis, quod ad imitationem attinet, ratio est, ut ad aliorum imaginem aut similia, aut diversa nobis adinveniamus. In similibus, ut multi in re pastoritia cum Virgilio Musas suas exercuere, ut M. Aurelius Nemesianus, T. Calphurnius Siculus, Andreas Navagerius, persplendide fecerunt. In diversis, ut in Græcis Theocritus; in nostris Jacobus Sannazarius, qui utrique ad pastoritiam avenam piscatoriam sibi excogitarunt. Nam quod alii in pastoribus suis luserunt, id hi ad piscatores felicissime transtulerunt; quod meus item Hector Cochius in re aucupatoria perbelle olim facere instituerat. Zeusis, cum Helenam Crotoniatis effingendam sumpsisset, multas Civitatis formosissimas virgines contemplatus esse dicitur, ex quibus singulis quicquid ei absolutissimæ pulchritudinis visum est, in eam egregio transtulit penicillo. Ticianus id nunc si efficiat in aliqua Veneris imagine depingenda, is recte quidem Zeusim imitatus esse dicetur; multo vero rectius, si Herculem picturus, totidem robustissimorum hominum corpora ad se adduci jubeat, atque ex iis omnibus quicquid ad eam virtutem pertineat, id omne sibi in suum Herculem deligat. Ita in equo, in tauro, in cæteris cujusque generis animalibus depingendis, si egregios quosque ex quoque genere Pictor sibi sumat ad suum absolutissime exprimendum. Sed redeo ad Latinos imitatores, atque etiam ad me ipsum [liceat enim mihi de me exemplum aliquando afferre] cum ego, inquam, essem adhuc adolescens, ac meis Civibus de publici ludi Magistro deliberandum accideret, eam ego mihi caussam exercendi styli gratia [ut fit in Scholis] sumpsi perorandam. Hanc totam ad ejus Ciceronis imaginem contuli, quam ipse secutus est, cum legem Maniliam luculentissima, ac prudentissima Oratione suasit, vel

per-

persuasit potius. Jam vero natu grandior factus totam item ejus ipsius Ciceronis alterius Orationis imaginem in meam alteram converti. Nam cum Herculi Patri tuo publico meorum Civium nomine mihi gratulandum esset, quod Neapoli a Cæsare & incolumis, & totius honestissimæ petitionis suæ compos rediisset; hanc ad ejus imaginem integram, quam ipse Cicero pro M. Marcello ad Cæsarem habuit, totam mihi constitui. Is enim in ea Cæsari gratias egit, quod sibi, quod propinquis, quod Patriæ, quod Senatui, Reique publicæ M. Marcellum restituisset, atque condonasset; qui cum id negotii paucorum admodum videret esse verborum, multa de Cæsaris ipsius laudibus, quæ cum re ipsa maxime conjuncta videri possent, percommode ad justam Orationem in medium induxit; quam ego in gratulando totam rationem, quemadmodum arbitror, facile secutus sum. Ut enim proposui, de quo mihi esset dicendum, perbelle ad ipsius Herculis facta quædam illustria quasi digressus sum; cui parti ut sensi plane me satisfecisse, ad propositum redii, gratulationem meam confeci, peroravi. Somnium vero Joannis Cornelii, quantum potui, ad Africani visum per quietem accommodavi. Proxime autem in proœmio de Principis consilio omnium meorum scriptorum, quæ apud me alicujus essent pretii, mentionem cum facerem, id ex Ciceronis imitatione feci: qui idem de suis in proœmio secundi libri de Divinatione effecit. Ac ne, quæ ego omnia ad hujus rationem scripserim, hoc loco ambitiose videar consectari, jam ea, quæ cum ex hoc ipso, tum ex cæteris optimis, omnes facile mutuari possunt, tum quæ multi [quoquo id fecerint modo] sunt imitati, pergam persequi. Verrem Cicero ad Judices novo, atque admirabili accusandi genere repetundarum damnat. Ex quo universo judicio multa sumi possunt, ad quorum imaginem similis caussa rectissime conformetur, quemadmodum Venetiis olim vidisse me recordor. Nam cum Vir Nobilissimus Civem suum male Remp. gessisse, atque socios expilasse ad Judices accusaret, ut singula ejus crimina exposuerat, ac vehementer insecutus erat, sub ea statim tabulas recitari jubebat, suis locupletissimis testibus unumquodque ejus crimen ex ordine comprobans: quod quidem agendi absolutius institutum ex Cicerone in ipsum Verrem sum-

 ptum

ptum fuisse nemo non videt. Antonium in Senatu gravissime, ac perpetuis Orationibus acerbissime idem exagitat Cicero. Quis ex his locis, qui aliquam diligentiam adhibeat, multa in simili caussa sibi non sentiat habere ad imitandum? In Vatinium testem omnia congessit hominis impurissimi crimina. In Pisonem invehitur tanto animi impetu, tam acri, ac constanti accusatione, tam perpetua scelerum omnium criminatione, quanto nusquam alias acrius. Catilinam teterrimum Civem non prius insectandi finem facit, quam eum ex Urbe ejecerit; hostem judicarit. Quæ singula pari ratione non pauca afferent, quæ prudens sibi sumat imitator. Quid autem in Ligariana ironia illa? in Cluentiana Sassiæ impudicissimæ ac sceleratissimæ fœminæ turpitudine? quid Dejotari? quid Cœlii? quid Murenæ defensione facilius ad imitandum? Prope infinita sunt in eo genere reliqua, ex quibus in pari caussa multa cuique suppeditabuntur ad eam cumulate, atque splendide perorandam; quæ ego brevitatis caussa singula non persequor. Certe ex senectutis defensione, aut ex amicitiæ laudatione, si quid cui par aut defendendum, aut laudandum accidat, magnam sibi supellectilem conficere poterit. Avaritiam, luxuriam, cupiditatem in Paradoxis detestatur ardentius, nusquam in cætera vitia se tam facilem nobis præbuit ad imitandum. De contemnenda item morte, de dolore tolerando iste ipse felicissime scripsit. Si cui de exilio pari ratione tolerando, de orbitate, de cæcitate, ac de cæteris ejus generis malis usus scribere veniat, unde is aptiorem imaginem, quam sequatur, habiturus sit, non video. Epicurus in voluptate summum bonum ponit; Stoicus in sola virtute acriter esse convincit: horum utriusque rationem Cicero egregie, ut reliqua omnia, persequitur. Hujus equidem loci imaginem, si mihi utra vita laudabilior sit, an quæ in deliciis otiose, ac nequiter, an quæ per summa rerum pericula cum virtute traducatur, disputandum accidat, facile mihi totam accommodabo. Ad suos familiariter scribit; cum principibus Viris summa etiam cum dignitate per literas agit; in iis autem solatur, commendat, hortatur, conqueritur, expostulat, gratulatur, & reliqua id genus, quæ per literas effici solent, unus omnia exequitur. Ad quam scribendi rationem boni omnes suam quoque in scribendis epistolis formam

mam

mam constituunt; in quibus Christophorus Longolius mihi maxime probatur. Præclare autem agit de claris Oratoribus, quo in libro cuique & laudi, & vitio, quod est visum, dare non dubitat. Ea ratione tu de Imperatoribus, si libeat, de Jurisconsultis, de Medicis, de cæteris ejus generis facere poteris rectissime. Hujus item duo libri sunt de Divinatione divinitus conscripti. Ad horum rationem Sadoletus suæ Philosophiæ defensionem optime instituisse videtur. Hactenus de Cicerone. Nunc de cæteris, qui digni sunt, quos imitemur. Petrus Bembus, cum in sua Historia tres haberet, quorum quemvis recte sequeretur, Cæsari tamen maluit, quam aut Livio, aut Sallustio, similior videri; id quod ante eum in eadem Historia Navagerium sensisse dicebamus; in qua idem posterior Navagerius præstare egregie dicitur; & meus Bernardinus Masejus in Pauli tertii Pontificis Maximi commentariis quotidie splendidissime facit. In Poetis autem Lampridius, cum omnes in Odis Horatio similiores esse studerent, solus Pindarum, neque id fortasse ingrate, imitari est ausus. Quam autem Aonius Lucretium in suis versibus, & numeris, & sententiis expresserit, facile omnibus est videre. Tantum autem abest, ut Navagerius hac imitandi virtute caruerit, ut cæteris etiam, qui rectius imitarentur, unus omnium in Epigrammate majorum viam ostenderit. Nam qui ante eum veterum lusus in eo genere versuum imitatus sit, aut etiam animadverterit, extat nemo; cæteri cæteros, plerique etiam fatuos secuti sunt; unus Navagerius eam viam posteris ostendit, quam veteres optime instituerunt. Hujus item est Damon; cujus magna pars ex Galli Virgiliani imagine confecta est; reliqua ex ejusdem reliquis, ut est ei visum commodius, recte, atque pereleganter conscripta. Borgeti, catelli lepidissimi, interitum misere defiet: hujus luctus imaginem ex Catulli passere mortuo totam est mutuatus. Id autem quam vere, quam decenter effecerit, ex utriusque versuum collatione facile cognosci poterit: sic enim inquit Catullus;

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suamque norat

Ipsam tam bene, quam puella matrem;
Nec se se gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam pipibat usque;
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis;
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male, o miselle passer,
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Navagerius vero sic:

Borgetus, lepidus catellus ille,
Cujus blanditias proterviores,
Et lusus herus ipse tantum amabat,
Quantum tale aliquid potest amari;
Nec mirum; dominum suum ipse norat,
Caram bima velut puella matrem;
Et nunc illius in sinu latebat;
Nunc blande assiliebat huc, & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore;
Erectis modo cruribus, bipesque
Mensæ astabat herili, heroque ab ipso
Latratu tenero cibum petebat;
Nunc raptus rapido, maloque fato
Ad manes abiit tenebricosos.
Miselle o canis, o miser catelle,
Nigras parvulus ut timebis umbras:
Ut sæpe dominum tuum requires:
Cui pro deliciis, jocisque longum
Heu desiderium tui relinquis.

Rei materia simillima est; quod quidem imitationis proprium esse dicebamus. Siquidem ille passerem mortuum, hic catellum; ille heram, hic herum misere deflentem inducit. Horum item lusus persimiles sunt, in saltu, morsu, pipitu, latratu, heri cognitione: sed cum omnia similia sint, tum etiam commiseratio minime est dissimilis. Postremo pro fletu assiduo, quo puellæ suæ turgidulos rubere oculos Catullus querebatur, longum catelli desiderium hero suo relictum esse reposuit Navagerius.

Hic

Hic tamen quædam addit alia, quæ canis natura illi commode dabat; ut illa:

Atque avido appetebat ore;
Erectis modo cruribus, bipesque
Mensæ astabat herili, heroque ab ipso
Latratu tenero cibum petebat.

Quod tamen aliqua ex parte ex primo item Catulli Epigrammate perbelle sumptum videri potest. At Fracastorius sic hanc imitandi rationem in suo Syphilo observavit, ut ex multis Virgilii imaginibus totam pęne tertii libri operis sui Historiam perpetuo contexuerit. Nam cum hic tandem Hispanæ classis appulsum ad novarum Gentium litus describeret, totam illam partem, quæ quidem bene longa est, ex diversis Virgilii locis adumbravit. Nam, ut omittam fluminis ostium, quo classem appulit, ut amnis ripas arborum amœnitate, atque avium cantu vario descriptas nihil recenseam, Cererem, Liberumque in ripa expositum, viros telluris miro desiderio passim per herbam stratos, novo solo, atque exoptato lætam, atque ex animo salutationem æque prætеream, quæ omnia a Marone felicissime sumpta sunt; hæc, inquam, ut omittam [quoniam suapte rerum natura utique facile occurrere possunt] ac illa, quæ sunt interioris imitationis tantum commemorem, Maro Æneam navi egredientem arcu, & sagittis armat, venatum in sylvam ducit, præda septem cervorum cohonestat. Hanc imaginem sequens Fracastorius, Juventutem Hispanam navi egressam describit in sylvam eo genere armorum, quod vulgo *scopetos* vocant, armatam; prædam huic facit ex iis avibus, quarum frequentem copiam in sylva illa prius pervolitare demonstrarat: quæ quidem aves, quoniam Apollini sacræ erant, ad Harpyarum imitationem perpetuo filo bellissime transit: quo in loco unam avium ex altissimo arborum vertice Genti illi multa horrenda cecinisse inducit: ac denique mensarum loco horrendis morsibus adesarum Gentem illam pestilenti morbo adesam, a sua sylva auxilium petituram gravissime comminata est: ad cujus vocem omnes horrore perculsi, ad terram duplicatis genibus conciderunt, ac supplicum in modum aves eas sunt venerati; utque talem sibi pestem averterent, votis omnibus deprecati sunt. Hoc etiam amplius, quod aves illas Apollini sacras efficit;

ficit; quod Maro in Harpyis facere non potuit: tantum is eis dedit, id divinationis ab Apolline se esse edoctam, ut diceret Celęno. Pergit eodem Historiæ filo insulæ Regem magna cum hominum multitudine extra Urbem externa cum Gente societatem coivisse, describens id, quod in Didone, & Trojanis in urbe efficit Maro. Præterea solemnis inciderat insulanis dies, quo Apollini de more annua vota redderentur; forte aderant externi viri, atque ab ipso Rege, qui Gentis ritus sint, atque unde ea sacra originem traxerint, edocentur. Quæ una facies tota illa est, cum Evander Herculi sacrificans Æneam accepit, ac totam rei Historiam Trojanum Heroem edocuit, & multa alia, nisi etiam omnia, quæ prudentissimus Poeta & acutissime vidit & commodissime mutuatus est; quæ cuique, qui aliquantum in Virgilio versatus sit, sua sponte apparere possunt. Jam vero Sannazarius, cum agit de Virginis partu, quam bellus est Maronis imitator, quam prudenter videt, quæ æmuletur: ac statim, quod ad nuntium attinet, qui Virgini mandata referat, nonne est ipsus Mercurius, qui ad Æneam mittitur? jussa item, & consilium Dei summi, num cum Jovis jussu, & consilio germane consentiunt? Cum vero Augusti censum habitum refert, in quo universi Orbis nomina sunt Gentium descripta, quæ magna secundi pars est libri, non ne tota Maronis est imago? sive cum Æneas ex omni Hetruria, sive cum Turnus ex universa Ausonia accita per singulas Gentes commemorat auxilia? Initio autem, cum invocat, ac ad Virginem alloquitur, quis non sentit illud ipsum vere, atque ex animo hunc agere, quod Augusto blandiens Virgilius agebat? Cum videlicet ait;

Tuque adeo spes fida hominum, spes fida Deorum,
Alma parens.

& quæ sequuntur ad multos versus, quorum postremi hi duo sunt, Virgilii item postremis maxime similes:

Tu Vatem, ignarumque viæ, insuetumque labori,
Diva, mone, & pavidis jam læta adlabere cœptis.

Maro autem sic:

Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes
Ingredere, & votis jam nunc assuesce vocari.

Cum tamen hic quoque prius dixerit,

Tu vatem, tu, Diva, mone.

Re-

Reliqua autem carmina, quemadmodum neque in Fracastorio factum est, ut adſcriberem, non ſatis commode cadere viſum eſt. Nimis enim longum opus, idque ex alienis confeciſſem ſcriptis; cum ego id unum, ut brevis ſim, ſtudeam maxime. Sed eorum hæc ſunt, qui ad aliorum inventionem ſibi quoque inveniendum eſſe, ac quaſi alienis veſtigiis eundum eſſe, probe cenſuerunt; quique id, quantum in ipſis fuit, conati ſunt efficere: quod etſi non ſunt plane conſecuti, minime tamen improbandi ſunt: certe in eo, quod viam noverint, quod in ea ingenium ſuum exercuerint, magnopere etiam laudandi. Hic vero, de quo nunc agam, ille eſt, qui non ſolum imaginem aliunde ſumptam ſuo artificio, ſua eloquentia, ſuis omnibus numeris in ſuo opere quam planiſſime abſolvit, ſed qui eam multo etiam ampliorem, multoque magis ſplendidam efficit. Id quod ut planius conſtet, ac meam in hoc ipſo fidem tibi tandem liberem, utriuſque carmen in medium deſcriptum adducam; ſi mihi tamen prius a doctiſſimis Viris cavebo, ne mihi id vitio, aut etiam ignorantiæ vertant, quod, quæ æmulationis ſunt, ea ego imitationi propria attribuam. Nam cum ſequi, imitari, æmulari tria ſint omnino ſpecie diverſa, genere tamen quodam ſic ſunt ſimilia, ut quod ſit alius, viciſſim ad alius commoditatem ſine vitio transferri poſſit. Nam quod egit Maro cum ſuo Catullo, etſi ſcio id æmulatione contendiſſe ad eum [quod effecit egregie] ſuperandum, via tamen apparet, atque rei totius eadem ratio, qua una imitatio maxime continetur; quam ipſe quoque Maro inſtitit, etſi longe validioribus eam inſtitit gradibus. Id autem in eo eſt, cum Catullus Thetidis, & Pelei nuptias divino carmine celebrans, Ariadnam in ſolo litore deſtitutam, & caſum ſuum graviter conquerentem aptiſſime inducit. Quem poſtea locum Maro integrum in ſuam Didonem pari ratione ab amatore ſuo deluſam longe tranſtulit felicius. Sane Catullum ſi ſolum legas, nihil melius deſiderari poſſe videtur; verum ſi cum Marone conferas, vix iterum Catullum reguſtabis; ita hic illi quaſi tenebras offudit, atque luminibus obſtruxit omnibus. Horum autem ſimilitudinem prius videamus, poſtea vero carmina ipſa conferemus. Fœminæ igitur ambæ ſunt; ab iis ambæ deſtitutæ, atque deluſæ, quos pro maritis habebant, ac

de

de quibus modis omnibus optime erant meritæ: ambæ hoſpitem fugientem execrantur; ambæ in graviſſimo periculo derelictæ; ambarum item querendi ordo, atque ratio. Siquidem modo furore percitæ in deſertores ſuos verbis aſperis impotenter feruntur, modo ad preces remiſſos animos miſerabiliter convertunt, idque per totam conqueſtionem, quaſi viciſſim repetitum, conſervant. Poſtremo autem ad execrationem, ad diras, tanquam ad cauſſæ ſuæ tutiſſimum præſidium, furentes confugiunt. Sed jam ſimilitudinem utriuſque, atque alterius imitationem ipſa carminum collatio plenius oſtendat. Ariadna igitur ſtatim ſic in ſuum fugientem exardeſcit:

Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,
Perfide, deſertam liquiſti in littore, Theſeu?

Quam iracundiam Dido & ipſa ſic initio expreſſit:

Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum
Poſſe nefas? tacituſque mea decedere terra?

Continuo a ſumma indignatione utraque, ut vides, ſuam querimoniam exorditur: altera, quod ab Laribus patriis abducta tam longe gentium in ſolo litore deſtitueretur; altera, quod, ſe inſcia, ex Urbe ſua fugam moliri, clamque de ſuo Regno decedere ſuus ſit auſus, graviſſime indignatur; ſimul perfidiæ utraque ſuum accuſat; paulo poſt tamen Ariadna a ſui commiſeratione hoc modo pergit querendo:

Nulla ne res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium, tibi nulla fuit clementia, prædo,
Immite ut noſtri vellet miteſcere pectus?
At non hæc quondam blanda promiſſa dediſti
Voce mihi, non hoc miſeram ſperare jubebas,
Sed connubia læta, ſed optatos Hymenæos.

Quam eandem commiſerationem, atque eodem loco Dido non omiſit, cum & ipſa ſequitur:

Nec te noſter Amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

Hoc autem addit Dido, quod longe cum re commodius convenit, Æneam non ſolum in ſe, ſed in ſuos, atque adeo in ſe ipſum crudelitatem ſuam exercere, qui ſe cum ſuis per hyemem certiſſimo maris periculo objectare non dubitet. Id autem his exequitur verſibus:

Quin etiam hyberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum

Cru-

Crudelis?

Quin etiam pergit ab incerto loco, quo Æneas appulsurus eſt, ejus perfidiam graviter exagitare, ſic dicens:

Quid ſi non arva aliena, domoſque
Ignotas peteres, & Troja antiqua maneret?
Troja per undoſum peteretur claſſibus æquor?

Quæ duæ partes, quoniam nullo modo Catullo conveniebant, propterea ſunt omiſſæ. Sed vide rurſus, ut ad preces, ad lachrymas ſe totam convertat, dicens:

Me ne fugis? per ego has lachrymas, dextramque tuam te,
Quando aliud mihi jam miſeræ nihil ipſa reliqui,
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miſerere domus labentis, & iſtam
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem.

Plane tota loci eſt imitatio: ſed quod potuit amplius Maro, id acute & vidit, & præſtitit egregie. Pactos tantum Hymenęos ſuo objicit Ariadna; Dido vero per eos ipſos Æneam rogat, ac horum etiam voluptate eum artificioſe tentat, ſi poſſit commovere. Quæ vero ſequuntur, meritum continent: & ipſa quidem a Catullo ſumpta, ſed non ad Catulli tamen ordinem deſcripta; in quibus quidem exprobrandis ea item animi alternatio ſervatur, qua ſupra amantem affectam eſſe demonſtravimus. Senſim enim exprobrando iterum ad hoſpitis nomen exarſit, neque multo poſt ſedatior, atque remiſſior facta in commiſeratione acquievit. Catulli autem hi ſunt verſus:

Jam jam nulla viro juranti fœmina credat,
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles:
Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt;
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Quam ſententiam Maro tribus verbis divinitus abſorpſit, cum ait:

Nuſquam tuta fides.

Poſt perfidiam, ingratum etiam ſuum Ariadna accuſare, atque illi nominatim præſtita officia exprobrare his verbis non omittit:

Certe ego te in medio verſantem turbine lethi
Eripui, & potius germanum amittere crevi,

Quam

Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem:
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, nec injecta tumulabor mortua terra.

Quam partem Maro quoque paucis, sed quam plenissime absolvit ad hunc modum:

Ejectum littore, egentem
Excepi, Regni demens in parte locavi:
Amissam classem, socios a morte reduxi.

Ubi autem Ariadna fratris mortem, quam amatoris, se maluisse dicit, ac pro tanta in eum fide se relictam esse feris, avibusque dilacerandam, misere conqueritur; Dido Nomadum Regum, Libycæ, ac Tyriæ Gentis in se odium, deinde pudicitiæ violatum nomen, postremo mortem ipsam objicit. Ejus autem hi sunt versus:

Te propter Libycæ Gentes, Nomadumque Tyranni
Odere, infensi Tyrii, te propter eundem
Extinctus pudor, &, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?

Ariadna item ab usque natalibus Theseum impietatis nota prosequitur his versibus:

Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
Quæ Syrtis? quæ Scylla rapax? quæ vasta Charybdis?
Talia qui reddis pro dulci præmia vita.

Dido vero hæc ad eum modum in Æneam iracunde evomuit:

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Hactenus per gravem negationem hic efficit, quod ille per interrogationem acriter conquestus est; cum neque tamen ab ea abstinuerit diutius. Sequitur enim:

Nam quid dissimulo? aut quid me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

Quæ qui non facit, is merito omnis impietatis accusandus est, quique magis diris feris, quam humano patre & satus, & altus dignus est, ut credatur. Quod item in mercedis loco dictum esse constat, quasi qui tot, ac tantis beneficiis acceptis in suo tanto dolore nullum misericordiæ signum ediderit. Suum postea Ariadna conqueritur jam longe fugam arripuisse, cum ait:

Ille

Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacuus mortalis in alga.

Quod nec Dido omisit. Ita enim & ipsa conqueritur.

Littora deseruere, latet sub classibus æquor,
Adnixi torquent spumas, & cęrula verrunt.

Solitudinem Dido omisit, quæ domi apud suos relinquebatur; celeritatem autem navigationis altero quoque adauxit versu.

Ariadna item in prima caussa detestanda sic versatur:

Jupiter Omnipotens utinam nec tempore primo
Gnossia Cecropiæ tetigissent littora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris quæsisset sedibus hospes.

Dido vero id ipsum ad hunc modum imitata est:

Felix, heu nimium felix, si littora tantum
Numquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Catullus omnia Ariadnam his versibus desperantem inducit;

Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idæos ne petam montes? an gurgite vasto
Discernens pontum truculentum, ubi dividit æquor?
An patris auxilium sperem? quem ne ipsa reliqui
Respersum juvenem fraterna cæde secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore?
Qui ne fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea nullum littus, sola insula, tecto
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis,
Nulla fugæ ratio, nulla est spes, omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostendunt omnia lethum.

Quam partem eo in loco effinxisse Maro videtur, cum ait:

En quid agam? rursus ne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex?
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrum
Jussa sequar?

Et quæ sequuntur. Quæ omnia Didoni haud minus erant tuta, quam quæ sibi objectabat Ariadna. Hoc in Marone erat amplius, quod indignatione rem adauxit, quam Ariadna tantum flebiliter, ac misere deploraverat.

Ca-

Catullus tandem suam ad diras, ad execrationes perduxit, his verbis:

Quare facta virum mulctantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc, huc, adventate, meas audite querelas,
Quas ego nunc misera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore;
Quæ quoniam veræ nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum,
Sed, quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente Deæ funestent seque suosque.

Quem locum postremo Maro cum copiose, tum etiam splendide sic imitatus est:

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpes curarum & conscia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per Urbes,
Et diræ ultrices, & Dii morientis Elisæ,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces: si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et si fata Jovis poscunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus, & armis
Finibus extorris complexu avulsus Juli
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera, nec cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, Regno, aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.
Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Quod lac lacti, quæ aquæ aqua similior, quam tota est ab usque initio ad ipsum finem Maronis imitatio? Quanto autem imitator splendidius, quanto copiosius, quanto gravius agat, non arbitror, te expectare, dum dicam. Ille enim narrat; hic vero canit, atque ea tuba canit, qua nulla umquam gravior, atque nobilior inflabitur. Ut isti tandem videant, imitatorem non ita in ergastulis contineri, qui interdum tamen, quem sequatur, facile præcurrere non possit. Neque vero secum minus ipse Maro ad hanc imitandi rationem agit, quoties accidit, in quo id facere possit: ut in tota Palæmone, ex qua quædam adducere minime gravabimur; in quibus hæc imitandi ratio planissime apparet; ac illud statim:

Ab

Ab Jove principium Musæ: Jovis omnia plena.
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Jovis optimi gratiam, & favorem jactat Damœtas, in quo sua carmina nimis magni facit, qui ea etiam Jovi maximæ curæ esse dicat. Quod ipsum neque dissimulavit Menalcas, sic respondens:

Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt Lauri, & suave rubens hyacinthus.

Imitatio est in Deorum erga se amoris alacri ostentatione. Nam hic Jovi Phœbum objecit, a quo se cum amari, tum etiam ejus frondibus ornari jactat. Est item in lege ejus carminis, quæ priori aut majora, aut contraria postulat dici; in hoc autem superat Menalcas, cum se Lauro a suo jam donatum esse: quo in loco Damœtas sua tantum carmina suo placere ostentabat. Proponit item Damon ad hunc modum,

Malo me Galatea petit lasciva puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Quo in loco sic illum æmulatus est Menalcas;

At mihi se se offert ultro meus ignis Amyntas,
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.

Imitatio est in amoribus. Secum enim puellam suam procaciter ludere Damon gloriatur: Menalcas autem se crebrius a suo Amynta adiri testatur. In quo item Damonem longe superat, qui amoribus suis fruatur; cum ille tantum amicam suam secum lascive ludentem dicat. Est etiam in personarum similitudine, Galatea scilicet, atque Amynta: quæ personarum ratio imitationem non parum adjuvare solet. Pergit Damon suo instituto:

Parta meæ Veneri sunt munera; namque notavi
Ipse locum aeriæ, quo congressere palumbes.

Quam partem sic Menalcas æmulatur:

Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

In munere manifesta est imitatio. Nam alter se parasse, quod amicæ muneri mitteret; alter se jam misisse, ac denuo esse missurum prædicat. Item in eo est, quod palumbes alter; mala alter aurea dono miserit. Superat eum bis Menalcas, & quod jam miserit, & quod missurum se polliceatur. Reliqua ad hunc se modum tota habet Cantilena, quod autem in hac binis perpetuis carminibus, quaternis idem efficit in Meliboeo ad hunc modum:

Nymphæ noster amor Libetrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite: proxima Phœbi
Versibus ille facit: aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Hæc Corydon; illa vero [ut Poetæ ipsius verbis utar] referebat in ordine Thyrsis.

Pastores, hedera crescentem ornate Poetam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro,
Aut, si ultra placitum laudarit, bacchare frontem
Cingite, ne Vati noceat mala lingua futuro.

Optat Corydon Codri Poetæ Musam, quem carmine proximum Phębo facit; Thyrsis vero Poetæ ornamentum postulat; in quo virtutem ille; hic vero virtutis præmium expetit. Distinxit autem Corydon, cum ait:

Aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Quam distinctionem neque Thyrsis omisit, dicens:

Aut, si ultra placitum laudarit, bacchare frontem
Cingite, ne Vati noceat mala lingua futuro.

Proponit item Corydon in hanc sententiam;

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi:
Si proprium hoc fuerit, lævi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

Aliena donat Mycon, in quo munere vovet, si ea umquam propria possit donare, hoc est, si tantus sit, qui sua manu cervum, atque aprum interficiat, se tum Deliam ex lævissimo marmore esse facturum, quem Thyrsis ita imitatus est:

Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis
Expectare sat est; custos es pauperis horti:
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

Et in dandi, & in vovendi pari ratione imitatio versatur. Ea enim uterque lege & donat, & vovet, ut, si vota sua plena ferant, longe in Deos cumulatiora sua sint collaturi munera. Similitudo est in personis, de qua ante est dictum. Muneris item dissimilitudo, atque voti dispar ratio. Thyrsis enim aurum; Corydon marmor promittit; hic autem vires in feras; ille gregem fœtura plenum exoptat; reliqua vero hoc, quo vides, ordine usque ad finem persequuntur. Hactenus a simili meus imi-

mitator inveniebat; tametsi a contrario quædam etiam pro rei natura conjunxit. Nunc autem separatim de contrariis quoque, neque admodum multis, agemus. Contrariorum igitur plura sunt genera; in omnibus autem aptissime cadit imitatio. Virtus, & vitium contraria sunt. Qua ratione quis justitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam laudarit, ea injustitiam, ignaviam, imprudentiam, intemperantiam vituperabit commodissime. Nam, quæ ad laudandam virtutem facient omnia, hæc eadem ad improbanda vitia e regione cadent aptissime. Justitiæ summa laus est, quod una ea hominum societas sanctissime conservatur, quod religio, quod fides, quod conjugia, quod certorum liberorum pietas reverenter coluntur. Injustitiæ vero summa erit vituperatio, quod uno eo vitio bona hæc omnia funditus tolluntur. Ita qui pro re honesta fortiter cadere non dubitet, qui in rebus agendis prudenter videat, quique in earum usu se se moderate gerat, quibus laudibus efferetur, ab earum contrariis, qui secus fecerit, vituperabitur convenientissime. Fortiter fecisse Regulum, qui, ne fidem suam proderet, ad certissimum supplicium rediit, optimorum omnium est sententia. Quibus hunc rationibus recte fecisse laudabis, a contrario ex iisdem sumas in eos licebit, qui, fracta fide, spreto jurejurando, domi remansere. Ita & in cæteris virtutibus pari facies ratione. Vi ventorum evelli, atque extirpari quercum; contra vero radicibus suis fortiter ad eorumdem ingentes flatus nihil commoveri omnino, contrarium est. Quod posterius Maro præclare, ut multa alia fecit, a Catullo sumpsit a contrario ad imitandum. Sic enim ait Catullus:

Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit, illa procul radicibus extirpata
Prona cadit, lateque & cominus omnia frangit.

Quam comparationem Maro sic est imitatus per contrarium:

Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant, it stridor, & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes,

Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.

Ille vi, atque ventorum impetu quercum a radicibus evulsam, atque ad terram magna cum propinquarum rerum strage datam, per comparationem inducit; hic contra suam vim omnem ventorum perfortiter ferre, quæ quidem altissimis radicibus nitatur, ostendit. Sed illa quoque secum Maro in contrariam partem imitando, quæ in Daphnidis morte cecinit, longe etiam præclarius egit. Nam cum Mopsus Daphnidis interitum misere deflevisset, partem alteram excepit Menalcas, quam ad Mopsi imaginem totam conformavit. Nam ubi Mopsus Daphnim mortuum acerbius deflet, contra Menalcas, quod is in Cœlo feliciter agat, mirifice lætatur: ubi ille mœrore, & lachrymis omnia ejus morte confecta lamentatur; hic contra omnia ob ejus divinitatem lætitia ostendit exultare. Ubi denique Mopsus tumulum constituit, versusque tumulo addidit; Menalcas & solemnia sacrificia, & aras ut certissimo dedicat Deo. Utriusque autem versus brevitatis caussa non apposui omnes, ratus, satis esse vel mediocriter doctis, si per initium eos indicassem. Id autem est ejus, qui eum mortuum deflet:

Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnim
Flebant: vos coryli testes, & flumina nymphis.

Ejus autem, qui eum inter Deos retulit, inde est initium:

Candidus insuetum miratur limen Olympi:
Sub pedibusque videt nubes, & sidera Daphnis.

Nos item a contrario Ciceronem imitati sumus, ubi ait: *Dii isti Segulio malefaciant homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt.* Nos autem sic: *Ut Dii Georgio patrueli tuo omnia bona dent, adolescenti omnium, qui sunt, qui fuerunt, quique omnes erunt in annos, optimo.* Item ex eodem, cum ait ad Plancum: *Cum Furnium per se vidi libentissime, tum hoc libentius, quod illum audiens, te videbar audire.* Nos autem sic: *quo in loco Antonii filium offendi, quem cum per se, ut facile nosti, iniquissimo animo vidi, tum etiam multo iniquius, quod illum videns, Antonium ipsum videre videbar.* Cicero item ait: *atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas & integritas.* Ego vero sic: *atque hæc mala omnia una avaritia cumulabantur.* Vel sic: *atque hæc bona omnia una ira-*

ra-

racundia facile coinquinabat. Ille item ex Platonis sententia dixit: *tum denique fore beatas Respublicas, si aut docti, & sapientes homines eas regere cœpissent; aut, qui regerent, omne studium suum in doctrina, ac sapientia collocassent*. A contrario ego sic commode faciam: *Equidem eas miseras Civitates esse duco, quas aut indocti, atque insipientes homines regere cœpissent; aut qui regerent, nullum studium in rerum cognitione umquam posuissent*. Item Sulpitius Ciceroni sic ait: *Vidimus aliquoties secundam te ferre pulcherrime fortunam, magnamque ex ea re te laudem adipisci; fac aliquando intelligamus adversam quoque te æque ferre posse, neque id majus, quam esse debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur defuisse*. Quam nos sententiam sic bifariam contra exempli caussa confecimus: *Vidimus te sæpius fortissime adversam fortunam ferre, magnamque ex ea laudem consequi; fac ita, ut intelligamus lætam æque perferre; neque te quicquam in tot, ac tantis rebus feliciter gestis insolentius efferri sentiamus, quam in minus prosperis demissius te gerere vidimus: ut, quæ tibi virtus in adversis æquo animo ferendis affuit, hæc eadem in lætis moderandis non deesse videatur*. Item: *Vidimus enim illum sæpius in secundis nimis insolenter ferri; ex qua re quoque magnam infamiam tulit; spero adversam nihilo fortius laturum: ut plane virtutem hanc, quæ est tum in moderate res secundas, tum fortiter adversas ferendo, illi deesse facile intelligamus*. Cicero item ait: *Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pœne ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia pervenerit*. Nos vero sic a contrario: *Est enim ille prorsus infelix, cujus ex morte non minor pœne ad omnes lætitia, atque voluptas, quam ad eum, qui illum interfecerit, ventura sit*. Item hoc modo: *Ille vere miser est, cujus ex miseria non minor lætitia ad omnes homines, quam dolor, ad se perveniat*. Ait item Cicero præclare: *Multis partibus ii plures sunt, qui parati sunt ad depravandum Principem, quam qui ad corrigendum*. Quem locum quivis a contrario sic imitari poterit: *Multis partibus ii quidem pauciores sunt, qui Principibus recte consulunt, quam qui ei turpiter adulantur*. Ille vero dixit: *Quam sis occupatus, etsi nihil ea de re ad me scripsisses, id tamen profecto vel tuarum literarum brevitas, vel locus ipse, unde illas mitteres, satis significaret*. Tu hoc modo tum imitari poteris ex contra-

trario : *Sane nihil opus fuit adſcribere, te ſummo otio abundare : id enim cum ex tuarum literarum longitudine, atque levitate, quas meris nugis referſiſti, tum etiam ex iſto loco, unde illas dediſti, facile perſpicere potui.* Quemadmodum Flaminius ſæpius facit perbelle; id autem belliſſime. Nam cum Cicero dixiſſet : *Omnis enim coagmentatio corporis vel calore, vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur, & confringitur, & ad morbos, ſenectutemque compellitur.* Ille autem ſic a contrario : *Primus Cœli globus neque natus eſt, neque vetuſtate ulla labefactatur, & frangitur, aut morbo aliquo, aut ſenectute extabeſcit.* Quod unum genus imitandi latiſſime patet. Nihil enim eſt, quod aliquo modo ſuum contrarium non habeat, quo viciſſim uti poſſimus ad imitandum. Illud adde, quod hoc genus contrariorum ſimilibus quoque in imitando plurimum prodeſſe conſtat; de quo in noſtris formis multo copioſius agetur. Nunc vero de conſtitutionis ratione agendum eſt : tametſi, cum de inventione præcipiebamus, multa de ea quoque dicta eſſe videri poſſunt. Vix enim aliter ex earum communi quadam natura, & ſocietate fieri potuit; ſua tamen quædam certa, ac propria huic quoque præcepta ſunt tradenda. Tria autem ſunt, quemadmodum ego exiſtimo, in quibus univerſa ſcribendi facultas verſatur; Narratio, Doctrina, Cauſſæ actio; quæ tria genera, etſi omnibus facultatibus communiter accidere poſſunt [nulla eſt enim perpetua dictio, quæ non ſuam aliquam habeat narrationem; narrationi item adjuncta ſit doctrina; neque non cauſſa aliqua interdum, atque adeo ſæpius agatur] has tamen ſeparabimus, & quæ cui rei conveniat, eam illi conabimur attribuere. Hiſtoriæ igitur narratio, doctrina omnibus præceptis, cauſſæ autem actio ad reliqua ſcripta facile accommodabitur. Res autem geſtas ſcribendi inſtitutio tres in primis imagines habere videtur; unam, quæ ſingulorum annorum rem ſimpliciter, ut geſta eſt, exponit : quam Hiſtoriam majores noſtri, inde quoque Annales appellavere. Hæc quidem non multum hominem retinet. Imitatur enim Faſtorum quandam enarrationem, in qua difficile eſt continuo in aliquam ſatietatem non incidere. Neque eſt, quod hic mihi quiſquam Cæſaris annales objiciat, quibus nihil delectabilius, nihil ſuavius, nihil ab omni parte perfectius legi poteſt. Tot ſane quidem

ſuo

suo ordine libri res ab eo gestas in Gallia continet, quot annos ipse ei provinciæ præfuit. Pari item ratione in Civili discordia factum constat; sed hi magis in eo Historiæ genere versantur, quod a perpetua Historia sejunctum est. Non enim ea Cæsar, quæ a Populo Romano singulis eorum quibusque annis gesta sunt, persequitur, sed quæ tantum ipse in Gallia, atque in Civili dissensione tam feliciter scripsit, quam etiam gessit. Alteram, quæ multorum annorum, ac diversorum etiam locorum res suo ordine gestas complectitur. Sed hæc multo fusius rem exponit universam. In quo scribendi genere perpetuam suam Historiam Livium contexuisse constat. Tertiam Historiæ imaginem jure æquo sibi illi vendicant, qui a continente Historia quædam separant, & ex tota re unum, aut plura Historiæ sibi efficiunt corpora; ut in suis rebus & Gallicis, & Civilibus Cæsarem fecisse dicebamus; & Sallustium, qui Catilinæ conjurationém, & bellum, quod Populus Romanus cum Jugurtha Rege gessit, commodissime a reliqua Historia sejunxit; quod factum Græcorum quoque Scriptorum testimonio Cicero maxime comprobat, cum hoc ipsum in rebus suis scribendis Lucejo magnopere persuadere conabatur. Qui igitur Historiam scripturus sit, utram duorum posteriorum generum imaginem sequatur, sive id in Decades, sive in solos libros distinxerit, is recte, mea quidem sententia, suam scriptionem informare videbitur; tametsi, quod ad dictionem attinet, sic mihi Cæsaris facilitas, atque puritas probatur, ut nulla magis probari possit. Cum neque tamen desint [ne quid prætercam, quod Historiam aliquid attingat] qui in hoc scribendi genere ex Virorum illustrium factis insignia tantum quædam sibi deligant, ac ea stylo persequantur angusto, neque uno id omnes modo; in quibus non valde Valerium Maximum contempserim, si habeam, qui in ejus Historia illum magis lingua, quam Patria possim Romanum agnoscere. Nam qui universam Historiam paucis perstringunt, ac quasi quædam per sua illam certa capita in Commentarium congerunt, modo ii Latini, modo compositi sint, quid eis ad imitandum desideretur amplius, non video. Atque hactenus, quod ad Historiam attinet. Præcipiendi autem ratio, & via quam multiplex, quam varia sit, quamque non unam in formam

cadat, pœne magis omnibus mirum est, quam ut quemquam fugiat. Nam sive sua sponte, sive per alios id faciant Præceptores, pœne jam tot viæ præcipiendi sunt, quot etiam præceptorum Scriptores numerantur. Continuo enim in his sunt, qui perpetua oratione utuntur; neque ii desunt, qui Dialogo, ac Oratione interpellata magis delectentur; multo vero ii plures sunt, qui in multa capita pro rerum multiplicium natura suam scriptionem distribuunt. Alii aliam sequuntur viam, atque rationem, prout cuique cum re suscepta suus ordo magis convenire visus est. In quibus quidem præcipiendi formis omnibus æque video probatissimos Auctores esse versatos; sed in perpetua, atque interpellata multo etiam probatiores. Horum autem utri nobiliores, non satis dijudicatur. Nam quod ad eos attinet, qui perpetua oratione præcepta sua tradunt, aut de re proposita disputant, majorem quamdam personæ gravitatem habere videntur, quam qui crebra interpellatione idem faciunt. Siquidem hi suam sententiam cum auctoritate persequuntur; cum illi contra sæpius validissimis argumentis vix alienam refellere possint: quo quoque altero modo [ut non levem interdum satietatem, quæ est in *inquit*, & *inquam* sæpius repetendo, istis condonem] longe, quam superiori, agitur verbosius: deinde vero, quia a se omnia proferre, non autem etiam ficte aliunde sumpsisse videntur. Quod quam factu facile sit, Cicero ipse declaravit, qui in suo Catone legendo dicere solebat, sibi non se, sed Catonem ipsum legere videri. Cicero in tribus de Oratore libris absolutissime de perfecto Oratore agit cum Quinto fratre, in quibus Crassum, Antonium, Catulum, & tres adolescentes Cottam, Sulpitium, & C. Julium loquentes inducit. Cum vero in Oratore ad Brutum horum omnium personam solus sustinet, eumdemque agit perfectum Oratorem, quam gravius id agat, atque cum majore dignitate, cuique est facile sentire. Si quis tamen secus sentiat, is audiat, quid Cicero ipse ad Leptam de hoc ipso testatus sit. Qui vero Dialogi morem, ac interpellatam orationem sequuntur, atque utriusque personæ sermonem disputando conjungunt, longe commodius, atque explicatius agere putantur. Nam non solum quid is sentiat, qui proponit, de quo disputetur, sed quasi quid is quoque, quicum id

aga-

agatur, teneat, eo modo pernoſcitur probe, & utraque ſententia in medium adducta, atque acute utrinque diſputata, quid verius ſit, magis eluceſcit. Siquidem in perpetua oratione auditor facit, quaſi qui ex adverſo flumine, eodemque præcipite, aquam hauriat, cujus curſus incitatus, atque adverſus calicem numquam implere permittit; ſic in rapida, atque incitata oratione, quamvis multa cujuſque modi rapiant aures, non omnia tamen auditor tenet, atque conſervat. Ad hæc accedit, quod ſi quæ a nobis traduntur, aut ſecus [ut fieri ſæpius ſolet] perceperit auditor; aut recte percepta, in eam ſententiam non probarit ſatis; cum alterum ingenue fateatur, alterum etiam aperte argumentis infirmare conetur; aut ut noſtra rectius percipiat, aut etiam ut ſuam corrigat ſententiam, rationibus convincemus. Quod vero ſatietatem quandam objiciunt, quam id recte, non ſatis video; quæ perpetuæ potius orationis ſit, quam interpellatæ. Siquidem ſatietati varietas in primis occurrit. At longiores ſunt, quam ſatis eſt, qui Dialogo utuntur. Non hoc Dialogi tam eſt vitium, quam cæteræ dictionis, ſi orationis longitudinem efficit non verborum infinitus numerus, ſed puſillus etiam ſupervacuus, & redundans. Quid vero? quod non uno modo in hoc verſatur Scriptor? Nam aut is omnem in ſe diſputationem ſuſcipiens, tam fideliter adverſarii partes, quam ſuas, fortiter diſputando defendit; aut ipſum loquentem inducit, ab illo *inquit*, & *inquam* commodius declinans, utrique, ſuam partem ſuo more ut tueatur, libere permittens. Cujus quidem poſterioris generis non unum item eſt genus. Aut enim, qui quæſivit aliquid, tamdiu tacet, quoad ab adverſario plane concluſum ſit; aut in rebus ſingulis utrique inſiſtitur, ut, intellecto, quid quiſque concedat, quid abnuat, facilius concludi, atque ad exitum ſuum perduci res poſſit. Uterque autem aut a ſe ipſo, quicquid diſputat, totum depromit; aut de alio quopiam acceptum quaſi nuncium, atque interpretem agens refert. In quo illud animadvertendum eſt maxime, ne videlicet inepti ſimus; hoc eſt, ut eas perſonas loquentes faciamus, quæ ei rei, de qua verba fient, maxime conveniant. Ut ſi de amicitia ſermo futurus ſit, non is ei attribuatur viro, qui ex fabulis ſumptus ſit, aut etiam, qui non ſingulari aliqua floruerit amicitia. Neque item, qui de Senectute loqua-

tur,

tur, recte adolescens inducetur. Quo vitio Græci interdum non caruere, qui graviſſimarum rerum ſermones fictis perſonis, & fabuloſis dare non dubitarunt. Illud accedit, quod ad Dialogi rationem ſpectat, ut hoc in primis utamur, cum aut de moribus agetur, aut alicujus rei inciderit diſceptatio. Sane vero multis ii ſunt partibus plures, qui hanc præcipiendi viam, & rationem a ſe ipſis, idque aut in libros integros, aut in ſua certa capita conſtitutos minime inepte præſtiterunt: ut qui rem ruſticam docent: qui animalium, piſcium, arborum, ſtirpium, regionum, ſiderum naturam ſcribendo ſunt perſecuti: qui ſuas obſervationes, qui gentium mores, qui inſtituta, qui Leges ſanctiſſimas literis commendarunt. Reſtat autem, ut tertio in loco, quod ad cauſſam dicendam attinet, formam abſolvamus, idque longe etiam brevius, quam res tanta poſtularet. Nam ſive ad Judices, ſive in Senatu, ſive ad populum agamus, quæ conſtituendarum cauſſarum ſit forma, jampridem a multis eſt demonſtratum. In quo item loco, aut quando exordiendum ſit; quo, aut quando narrandum; quo in partes cauſſa dividenda; quo noſtra firmior argumentatio, quo debilior conſtituenda ſit; quo digrediamur, aut quouſque id faciamus; quo peroremus; quo denique hujus generis reliqua, ſi quæ reſtant, collocanda ſint, pari ratione cum a multis, qui de arte ſcripſerunt, tum ab uno Cicerone optime eſt demonſtratum. Quo vel uno longiſſimæ orationis labore recte ipſi ſuperſedebimus, ac quædam tantum, quæ paulo ſunt ab hiſce præceptis remotiora, ac magis recondita, hoc loco attingemus. Aut igitur primo, aut ſecundo loco agimus. Si magis reſpondemus, minime factum erit inepte, ſi cauſſam noſtram ad adverſarii rationem inſtituerimus: ut ſi quis, exempli cauſſa, legem Maniliam diſſuadeat; aut Antonium in Senatu defendat; aut vituperet amicitiam: qui fere omnia, quibus conſtitutionem ſuam informet, ab adverſario ſuo facile mutuabitur; quemadmodum Cicero in defendenda ſenectute feciſſe apparet; qui, adverſariorum rationibus propoſitis, quo ordine ab eis erant diſtributæ, ſic eas refellit, atque confringit. Sed id ſemper videndum erit, ut cum cauſſa noſtra id faciat maxime, a cujus ratione numquam eſt diſcedendum. Sin is ſit, qui magis agat, ac primum locum

cum obtineat, ut suæ caussæ genus plane pernorit, ac quicquid ad eam auditori satis probandam in unum locum collegerit, ante, quam id dictione explicare aggrediatur, attente considerabit, suamque omnem diligentiam in consilium adhibebit, ut ad alicujus probatissimi Viri imaginem materiam illam, quam mente, atque animo jam habeat comparatam, recte, & ordine constituat, ac quasi architectus faciat, qui ante, quam ullum jaciat fundamentum, totius ædificii imaginem aliquam ex leviore materia aliqua sibi habet integre ædificatam. Quæ totius constitutionis forma si aut cum auditoris natura consenserit, aut si is eam etiam alias viderit, dici non potest, quantum illi ad delectationem afferat adjumenti; ut ea figura, quæ omnibus suis partibus optime constet ad hominem absolute exprimendum, magnopere intuentium oculos delectavit; verum, si ea virum illum referat, qui illi maxime notus sit, multo eam quodammodo ei majorem afferet delectationem, ac multo arridebit magis: ut procul dubio in Alphonsi Avi tui imagine, quam Ticianus egregie effinxit, ipsi majorem intuendo voluptatem sentiamus, qui eum noverimus, quam tu, quem in cunis moriens reliquit, quam qui nusquam alias viderit. Sed omnium rerum instituendarum ratio summi in primis erit judicii. Nam cum distribuendi genus sit duplex; unum naturæ; artis alterum; utrum magis sequendum sit, is demum sentiet, qui judicio plurimum valebit. Itaque Cæsar in descriptione totius Galliæ, cum naturæ ordine in ea describenda commodissime uti posset, suum tamen quemdam sequi maluit. Nam, cum a Belgis initium sumeret, in ea describenda, omissis Celtis, qui in medio positi sunt, ad Aquitanos prætergreditur; deinde tertio in loco ad Celtas redit, sic inquiens: *Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur.* Eodem modo facit, qui ad Herennium scribit, cum agit de tribus orationis generibus. Sic enim ait: *Sunt igitur tria genera, quæ nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus.* Nam cum mediocris ex prima, & tertia nascatur, naturæ ordine tertio in loco poni magis debuit. Id quod Cicero facit, ubi ait: *Oratorum*

rum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graves, aut copiosos; alios tenues, aut subtiles, aut breves; alios eis interjectos, & tamquam medios putet &c. Tametsi magis verus is est naturæ ordo, ut humilitas primo in loco, mediocritas in secundo, in tertio amplitudo ponatur. Quem ordinem item Cicero servat in Oratore. Natura enim comparatum est, ut omnes res magis ab initiis suis, ac quasi eundo ad suum summum perveniant, quam continuo quasi montes nascantur, deinde ad colles, postea ad planitiem demittantur: cum tamen retro quoque verso ordine fieri videamus; ut Cicero, cum agit de optimo genere Oratorum. Sic enim ait: *Ea igitur omnia in quo summa, erit Orator peritissimus; in quo media, mediocris, in quo minima, deterrimus.* Gnatho Terentianus est parasitus: hic, cum insolenter gloriaretur cum sui ordinis quodam fame jam confecto, se facile victum quærere, ac eo ventum esset, ubi se jactaret coquis, piscatoribus, laniis, fartoribus, & reliquis ejus generis hominibus gratissimum esse, sic inquit:

Concurrunt læti mihi obviam cupedinarii, cætarii, lanii,
Coqui, fartores, piscatores, aucupes,
Quibus & re salva, & perdita profueram, & prosum sæpe:
Salutant, ad cœnam vocant, adventum gratulantur:

in quorum postremo versu ordo magis postulare videbatur, ut diceret:

Salutant, adventum gratulantur, ad cœnam vocant;

sed artem secutus diligentissimus Poeta, utriusque personæ rationem adhibens, continuo secundo in loco cœnam posuit, quam utrumque eorum mire appetere sciebat. Proponit Cicero in Divinatione in Verrem, quod a defendendo ad accusandum descenderit, cum Judices intellexerint, quamobrem id faciat, & eos nihil esse miraturos, & accusationem illam sibi potius, quam cuiquam alii, omnino delaturos: quam propositionem cum postea exequitur, præpostere agit. Nam quæ secundo in loco proposita pars erat, eam primum absolvit; deinde ad priorem redit; id quod ex arte factum maxime constat. Nam si prius, atque ex ordine probasset, se in ea accusatione Cæcilio esse anteponendum, pari ratione probatum esset, ut ex defensore honeste accusator factus esset,

ſet, quia conceſſo illo, quod honeſtius, quam Cæcilius accuſare poſſet, una ſimul concedi videbatur recte eum a defendendo ad accuſandum deſcendiſſe. Fabularum proprium eſt, ut primo in loco totius rei argumentum, aut quodam modo, quod pro argumento ſit, proloquamur: eſt tamen, ubi Plautus poſt primam ſcenam, eamque bene longam, id ponat commodiſſime. Neque ea, quæ propoſita ſunt multa, cum ſeparatim unumquodque peragitur, ut in ordine ſunt conſtituta, ita peraguntur; ut Cicero de Inventione, ubi ait: *Genera cauſſarum ſunt quinque; honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum.* Nam cum unumquodque exponit, poſtea planius, quod primum erat in propoſitione, ex arte poſtremum reliquit ad explicandum. Quam quidem artis liberam inſtitutionem Poeta omnino magis ſibi vendicare videtur. Nam, quæ longe etiam poſt evenerint, primo in loco narrando ut occupet, ac, his perfecte peractis, ad ea, quæ prima geſta fuerant, perbelle ſe ſe revocet dicendo, totum ex artificio facit. Capta Troja primum eſt: pererrat deinde Æneas maria omnia, terras omnes: agit tamen præpoſtere Maro, cum rem eam exequitur. Continuo enim ab erroribus exorditur; idque cum ex inſula Sicilia, non autem Troja ſoluiſſet: deinde ad Trojæ excidium commode revertitur. In eo vero magis cum natura conſentire videtur, cum primum proponit, deinde invocat, poſtremo narrat. Nam, qui ſecus faciant, aut nulli ſunt, aut, ſi qui ſunt omnino, quam recte faciant, ipſi viderint; præſertim in ipſo totius operis initio: ut Maro in Georgicis:

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mecænas, ulmiſque adjungere vites,
Conveniat; quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; atque apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam.

Quibus verſibus, de quo dicturus ſit Poeta, proponit. Sequitur Deorum invocatio ex eo loco:

Vos, o clariſſima Mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres:

Et reliqua, quouſque rem ipſam aggreditur eo initio:

Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur;

Item

Item in secundo ejusdem operis libro statim hoc modo proponit :

Nunc te , Bacche , canam , nec non sylvestria tecum
Virgulta , & prolem tarde crescentis olivæ .

Deinde Bacchum invocat , cum sequitur :

Huc , pater o Lenæe , (tuis hæc omnia plena
Muneribus : tibi pampineo gravidus Autumno
Floret ager : spumat plenis vindemia labris)
Huc , pater o Lenæe , veni :

Postremo inde narrationem exorditur :

Principio arboribus varia est natura creandis.

Est tamen , ubi præludere aliquid illi quoque concessum est : quemadmodum Maro fecit in Æneidos suæ initio , qui propositioni quatuor carmina præcinit ; atque ita , ut ea etiam cum propositione conjunxerit , dicens :

Ille ego , qui quondam gracili modulatus avena
Carmen , & egressus sylvis , vicina coegi ,
Ut quamvis avido parerent arva colono ,
Gratum opus agricolis : at nunc horrentia Martis
Arma , virumque cano.

Et quæ sequuntur , quousque veniat ad invocationem , quam totidem versibus exequitur , dicens :

Musa mihi caussas memora , quo numine læso ,
Quidve dolens Regina Deum , tot voluere casus
Insignem pietate virum , tot adire labores
Impulerit. Tantæ ne animis Cœlestibus iræ?

Cui statim adjuncta est narratio , cujus initium hoc est :

Urbs antiqua fuit , Tyrii tenuere coloni ,
Carthago.

Neque ego quemquam esse arbitror , qui Lucretium mihi temere objiciat: quem tamen ab invocatione exorsum esse passim legimus , hoc modo :

Æneadum genitrix , hominum , Divumque voluptas.

Nam aliud hujus initium adducit Varro , cum agit de lingua Latina ; id autem est tale :

Ætheris , & terræ genitabile quærere tempus .

Hoc tantum ille. Cætera adhuc desiderantur. Sed hoc distribuendi institutum in operis , ut dicebam , initio castissime custoditur , atque incorrupte conservatur: in medio autem, si quid usus veniat , certe non item. Eo enim in loco liberior instituendi ratio esse videtur ; quemadmodum Maro in VII. Æneidos facit , qui simul una

&

& invocat, & proponit; tametsi propositionem postea quoque ab invocatione sejungit; tertio narrat. Sic enim ait:

Nunc age, qui Reges, Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, & primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu Vatem, tu, Diva, mone: dicam horrida bella,
Dicam acies, actosque animis in funera Reges,
Thyrrenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam; major rerum mihi nascitur ordo;
Majus opus moveo. Rex arva Latinus, & Urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.

Et quæ sequuntur reliqua. Quo in loco a pura illa naturali instituendi ratione discessit. Id quod etiam efficit in decimo, cum ex universa Hetruria, quæ coegerat Æneas, auxilia est dicturus. Ait enim:

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusque movete,
Quæ manus interea Thuscis comitetur ab oris
Æneam, armetque rates, pelagoque vehatur.

Quo in loco invocans nullam explicuit narrationem; quemadmodum supra: sed ea, quæ in invocatione indicabatur, contentus, rem ipsam aggreditur hoc modo:

Massicus ærata Princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi,

Et quæ sequuntur ad omnium copiarum plenam descriptionem. Pari item ratione facit, cum de apibus agit in quarto Georgicorum. Sic enim ait:

Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
Unde nova ingressus hominum experientia cœpit?

Quæ invocationis loco dicta possunt videri. Sequitur autem rem ipsam sic agens:

Pastor Aristæus fugiens Peneja Tempe.

Et reliqua ad operis finem. Pari item ratione agit in IX. cum Turni ingentia facta est dicturus: ubi Musam rogat, ut sibi tantas res canenti feliciter adsit. Sic enim ait:

Vos, o Calliope, precor aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virum demiserit Orco,
Et mecum ingentes oras evolvite belli.
Et meministis enim Divæ, & memorare potestis.

Dein-

Deinde ſic aggreditur :

Turris erat vaſto ſuſpectu , & pontibus altis.

Et quæ ſequuntur. Ut in difficillimis rebus explicandis , quibuſque Deo ſit opus , etiam in medio opere liceat ejus opem invocare : ut item efficit in ſexto. Nam cum illi inferna , & nulli explorata , ac cognita deſcribenda eſſent loca , quaſi veniam ab illorum locorum Diis invocat, ut ſibi liceat , quæ de inferis audierit , ea ſuis verſibus explicare. Verſus autem ii ſunt :

Dii, quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes ,
Et Chaos , & Phlegeton , & loca nocte ſilentia late,
Sit mihi fas audita loqui ; ſit numine veſtro
Pandere res alta terra , & caligine merſas.

Quod Sannazarius & acute vidit, & optime eſt imitatus in ſecundo libro de Virginis partu. Nam cum ad Chriſti ortum perveniſſet , rei magnitudine [quid enim majus , aut etiam tantum ?] ductus , ſic Muſarum opem implorat :

Nunc age, Caſtaliis quæ numquam audita ſub antris ,
Muſarumve choris celebrata , aut cognita Phœbo,
Expediam. Vos, ſecretos per devia colles ,
Cœlicolæ , vos , ſi merui , monſtrate receſſus
Intactos. Ventum ad cunas , & gaudia Cœli ,
Mirandoſque ortus , & tecta ſonantia ſacro
Vagitu. Stat ferre pedem , qua nulla priorum
Obvia ſint oculis Vatum veſtigia noſtris.

Sed ſive naturam , ſive artem in conſtituendo ſequaris , illud tibi etiam atque etiam diligenter videndum erit , ut ei rei , qua de agatur , diligentem rationem adhibeas , eique uni in primis obtemperes. Reliquum autem eſt , ut locutionis formam perſequamur ad imitandum , quo uno perfecto , totius imitationis fabricam a nobis habebis abſolutam.

LI-

BARTHOLOMÆI RICCII

DE IMITATIONE.

AD ALPHONSUM

ATESTIUM PRINCIPEM,

LIBER TERTIUS.

Etsi ſcio, me, qui de imitatione ſcribam, hoc loco, quem ſequar imitando, habere neminem, qui ex diſtributionis meæ tertia parte librum ſeparatim mihi conficiam, cum hæc quoque pars reliquas duas partes continenter ſequi, ac conjuncte concludi magis deberet; ne tamen liber, ſi hæc quoque tertia pars acceſſiſſet, juſta magnitudine longior excreviſſet, locutionem ab inventione, & diſpoſitione ſejunxi; tametſi ea locutionis quoque auctoritas, iſque uſus eſt in dicendo, ut non dubitem, quin illa, quod ei amplius attribuerim, facile ſuum defendat, atque tueatur, meamque hanc inſtituendorum librorum rationem etiam paulo liberiorem pari ſit ratione comprobatura. Sane inventio rerum omnium in dicendo, ut etiam in agendo, eſt princeps: neque diſpoſitio nullam ex ſuo ordine orationi ipſi venuſtatem, atque decus affert. At ea una locutionis vis, atque virtus eſt, ut, ſi nulla adſit, quicquid prudentiſſime invenias, quicquid in ſuum ordinem optime conſtituas, quaſi fruſtra utrumque efficere videaris: ſin autem rudis, atque infans, nec quæ ſua dignitate conſtet; plurimum de utroque ut detrahatur, neceſſe ſit, in ea autem ipſa, qua nunc de agitur imitatione, quantum hæc etiam valeat, quantumque principatus obtineat, id facile declarat, quod cum imitatori maxime providendum ſit, ne aliena magis ſurripere, quam imitari videatur, id illi in primis hæc loquendi virtus optime & providere, & cavere poteſt. Sic enim hæc apte, ſic belle, ſic recte, quicquid vult, in alienam faciem transfert, atque convertit, ut quæ prima fuerit,

nulla sentiatur: ac quemadmodum apes, quæ flosculos, herbulas, ac quicquid imbiberint roris, in suum novum corpus ita conficiunt, ut nihil eorum existat ex pristina aut forma, aut materia; sic hæc nobis alienas virtutes, atque sententias ita suo studio, suaque arte conficit, atque condit suaviter, ut pristinæ formæ nihil agnoscatur, nostrumque id fiat maxime, quod ea nobis apte compararit, atque construxerit; ut omnibus hisce de caussis tertius hic de locutione liber ex secundo sine ulla justa accusatione nasci potuerit. Sed quoniam locutio non a nobis, verum tota, ut est aliena, aliunde est petenda, ac multæ res quotidie reperiuntur, atque adeo assidue reperientur, quæ nomine carent Latino; ac etiam multo plures illæ sunt, quæ novum nomen nactæ, veteri aut prorsus amisso, aut saltem nobis ignorato; utrum novis rebus a nobis recte fieri possit nomen Latinum, aut novis nominibus pro Latinis uti possimus; aut si neutrum permittitur, quid tum agendum sit, cum earum usus veniat, prius est dicendum: deinde locutionem ipsam planius absolvemus. Ac, quod ad res novas Latino nomine appellandas attinet, sane multi non desunt, neque ii imperitissimi viri, qui Ciceronis auctoritate id sibi licere magnopere contendunt; qui in principio tertii libri de Finibus bonorum, & malorum sic in hanc ait sententiam: *Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius disserendi genus, idque cum Græcis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt, imponendaque novis rebus nomina*. Quod vero ad res veteres [quoniam una, eademque plaga utrumque adversarium conficere volumus] quarum nullum sit, aut non extet nomen Latinum, si qui id quoque audeant, quo præsenti appellantur, eas nominare tanquam Latino, quoniam Horatius dixerit:

Ego, cur acquirere pauca,
Si possum invideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Ac etiam paulo inferius, ubi ex rerum omnium vicissitudine verborum etiam renovationem affirmat, ait:

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,

Quæ

Quæ nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Pari omnes, eoque maximo versantur in errore. Nam cum ita Cicero, & Horatius sentiant, & rectissime sentiant, id Latinis suis [quod miror tantos Viros non vidisse] quibuscum agebant, tantum concedebant. Neque enim Cicero volebat novæ rei Græcæ Latinus, aut contra Latinæ Græcus nomen faceret non suum. Quemadmodum hoc nostro tempore neque Italus Gallis vocem ullam creare potest Gallicam, neque contra Gallus Italis, quæ sit Itala; neque utrisque Hispanus, quæ sit cujusque; sic neque Latinis aut Italus, aut Gallus, aut Hispanus vocem ullam parere potest, quæ Latina sit. Nam, si ita fiat, jampridem omnes linguas Latina lingua in se recepisset. *Cavedonem* vulgo rem novam Italus appellat, item *staffam*, *stampam*, *bombardam*, & cætera ejus generis infinita. Fac hæc Italo liceat, cum ei usus veniat, parvo quodam accentu ad vocis sonitum addito, quasi Latina usurpare, ac Latinis adsciscere: fac idem cæteris nationibus in suis novis rebus permittatur; non vereor, quin videas, quam brevi Latinus sermo a se se totus desciscere cogatur; omnia omnium statim fieri, pauciora Latini sermonis agnosci, necesse sit: multo vero etiam magis, si, quæ nostræ germanæ sunt voces, [ut de nostris nunc tantum agam] eas nos ad Latinam rationem proferre conemur: ut possibile, impossibile, gratitudo, ingratitudo, liberum arbitrium, devotus pro religioso, defectus pro culpa, instabilitas, superfluum, superfluitas, & quæ in instrumentis, in fructibus, in herbis, arboribus, navigiis, avibus, vestibus, coloribus, & cæteris ejus generis sunt innumerabilia. At hoc Latini ipsi palam factitarunt etiam in alienis vocibus. Siquidem Cæsarem [ut Græca nunc omittam quam plurima, quæ trita facta sunt Latina] multis Gallicis verbis Latinam Civitatem donasse, nulli dubium est. Maronem autem & Gaza, & Gesa, & Mapalia in Latium tantum aut maris, aut terræ spatium transtulisse, pari constat ratione; ita cæteri in cæteris, ut cuique usu veniebat, facere nihil dubitarunt. Id quod etiam egregie Latina oratione prædito, quique ejus Civitate plane donatus sit, ad eum modum licere existimandum est. Quasi vero non infinitæ sint res, quas alii agere liceat, alii autem minime. Cer-

te quempiam in ſuam domum ad ſe liberaliter accipere cuique permiſſum eſt; in alienam, id ſi facere velit, non ita. Sic Princeps, cui libeat, Civitatem ſuam donare poterit, alienam non poterit. Cæſar, Maro, quique reliqui alienas voces Romanis adſciverunt, in ſuam ii domum, in ſuam Civitatem illas receperunt; nos autem, qui jampridem facti ſumus alieniſſimi, qua id ratione facere audebimus? At Latinæ orationis Cives facti ſumus. Eſto. Num propterea in eam alios recipere ipſi poterimus? Certe ſuffragii ferendi jus novo homini concedetur, donandæ autem Civitatis non ita. Præterea cur, ſi ita eſt, tot optimi Cives, atque adeo principes Latinæ Civitatis nullum verbum temere in ſuam Civitatem admittere ſunt auſi? Navagerius, Bembus, Sadoletus, Romulus, Bonamicus, totus denique Senatus Latinus iis vocibus Latine agentes utuntur, quas uſus, & conſuetudo majorum eis reliquit, nullam novam ii ad iſtam rationem admiſcentes. Quid igitur tuus iſte Civis Latinus aget in iis utriſque rebus appellandis, ſi alteris prorſus Latinum nomen adimis, alteris noſtrum non concedis? Is in re nova appellanda primum quæret, ſi quid ſimile apud majores fuerit, cujus nomen huic novæ accommodari poſſit; ut in *bombarda*, quæ cum apud nos ſit pæne idem, quod apud majores fuit tormentum militare, tormenti nomine eam appellare non dubitabit; item in horologio, ſi minime hac noſtra contentus ſit voce, ad Solarium, quæ veterum fuit, facile confugiet; ita in *battezzare*, initiari; in *ſcomunicare*, ſacris interdicere; *in bombardar' una terra*, verberare Urbem: quæ omnia veteres in ſimili uſurparunt. Si vero a majoribus id ei defuerit præſidii, tum rei circumſcriptio præſto aderit; periphraſis nuſquam deerit: ut, ſi illi *cavedonem* ſit dicendum, eum ita explicabit, tripodem ſocularem, quo utimur ad ligna ſuſtinenda: ſi *ſtaffam*, inſtrumentum, quo pedes ſuſtinet eques: ſi *campanam*, vas æneum altiſſimo in loco poſitum, cujus creberrimis ictibus aliquid longinquis ſignificatur: ſi *ſtampam*, artem deſcribendi publicam. In re vero veteri, quæ longe nomine alio nunc vocetur, appellanda, ut *la vanga*, *o paletto*, *la macchia*, *il cocchio*, *il feltrone*, *il ſonar la Predica*, *contrabandiero*, & reliqua ejus generis innumerabilia, meus primum diligenter inveſtigabit, ſi Latinum nomen alicunde poſſit erue-

eruere: cujus si compos fiet, recte erit: ut in superioribus bipalium, macula, cisium, penula, concio advocatur, vectigalium defraudator: sin minus, in hoc quoque ea ratione utetur, qua in re nova nominanda eum uti præcipiebamus; divina scilicet periphrasi. At longum erit, quod unico possit verbo, multis id si explicetur verbis, ac quoties opus sit, eam periphrasim repetere. At Latinum eo modo, barbarum isto. Postremo autem, si minus concessa voce uti cogemur omnino, neque hujus quicquam sit, quo Latinam eam reddere possimus, ac circuitus istos, atque orationis anfractus fugere velimus; eo modo recte illam usurpabimus, si quasi veniam prius præfabimur, hoc modo; ut ajunt, ut dicunt, ut ita dicam, ut nostri appellant, loquuntur, & hujus generis multis modis: quemadmodum Cicero facit in iis, quæ non satis Latina probarentur. Sed fortasse in paucis vocibus id servari poterit; ut aliquo modo aut quasi Latinas eas efficiamus, aut periphrasi, aut etiam excusatione aliqua adhibita Latinis admisceamus. Quid autem Jureconsulti in suis consiliis dandis? Quid item conventorum, pactorum, testamentorumque stipulatores agent, quibus & infinitis rebus nova nomina sunt omnino facienda, & quæ Latina sunt prorsus ignorantur? Num a consulendo, ac stipulando cessabunt, dum aut Latini redeant, qui res eas nomine donent Latino? aut illa, quæ Latina lateant, fiant notiora? an continuo artem desinent? Isti, si me audiant, aut prius Latine recte scribere discent; aut, si id assequi non poterunt, sua magis utentur lingua, quam abutentur aliena. Sed jam locutionem ipsam aggrediamur, qua una absoluta, totam de imitatione disputationem nostram habebis absolutam. Cum igitur Latini sermonis duplex ratio sit; simplex altera, ac ex pura Grammatica; altera compta atque splendida; qui ad Grammaticorum regulam tantum loqui didicerit, is non satis habebit ad eam, quam Latinæ locutionis elegantiam intelligimus. Aliud est enim quasi terminis anguste circumscriptis ingredi; aliud suo judicio liberius, ac cum dignitate spatiari; neque ille, qui tantum ad familiæ capiendæ laxitatem ædes ædificarit, propterea magnifice ædificasse dicetur; sed qui vestibula, conclavia, porticus, ambulationes, laquearia, cætera multa ad ædium dignitatem extruxerit; quemadmodum ne-

que qui se in choreis agat, si ad soni numerum pedem tantum moveat, non item totius corporis motum, ac quiddam etiam de suo decenter addat, elegans saltator habebitur. Postremo autem qui panno involutus sit bene crasso, satis ille quidem aut ad frigus pellendum, aut ad calorem arcendum habebit adjumenti; ad ornatum autem, quem omnium maxime quærimus, nisi vestiendi ars diligens accesserit, nihil habebit omnino. Sic in Latina oratione minime satis est, Latina si sint verba, ac certa inter se ratione conjuncta; majus adhuc quiddam restat; id autem est, cum oratio suis luminibus, suisque virtutibus omnibus distinguitur, atque ornatur. Sed ut aliud esse Grammatice loqui, aliud splendide dicebamus; sic nunc in splendida oratione aliam alia esse probatiorem ostendemus. Ac, ne ego nunc tibi ætates commisceam, ac Terentii quasi horridioris nescio quid antiquitatis retinere; Antonii, atque Crassi paulo cultiorem factam esse; Ciceronis autem ætatem omnia lumina, omnes virtutes eloquentiæ effudisse comprobem; unam tantum sumam, neque eam etiam optimam; quin etiam a viris discedam licet; atque in altero sexu id tibi exequar. Non suæ igitur ætatis cæteris primariis fœminis Corneliam, & Læliam splendidius locutas esse, Cicero testatum reliquit? quarum etiam altera Gracchorum filiorum institutioni plurimum profuit, altera filias Mutias, & Licinias neptes longe effecit elegantiores. Sed Dii facerent, ut non ita esset, ac omnes eo modo homines loquerentur, quo boni faciunt; neque hic alio, ille alio Latina abusus esset oratione. Nulla enim nunc opus esset in loquendo imitatione. Omnes enim eo modo loqueremur optime. Hanc igitur, quam nos hoc loco probatiorem quærimus locutionis formam, ex una probatissimorum Auctorum lectione assidua maxime conficiemus. Nam ut pessime ii semper agunt, qui a pessimis nunquam discedunt Auctoribus; sic illi, qui in bonis habitant, nonnunquam optime; hi autem, qui sunt probatissimi Auctores, in quibus legendis, ac versandis hanc dicendi formam, quę omnium judicio maxime probetur, nobis ipsi comparemus, ii procul dubio sunt, qui Ciceronis ætate floruerunt. Sed cum ea tota ætas plane Latine, atque eleganter locuta sit, unus tamen Cicero omnium elegantissime est locutus. Pure quidem alii, quod est in maxima

lau-

laudis parte ponendum, presse alii, ac prope una in brevitate divini extitere; sed unus Cicero laudem omnium, ac virtutes in se transtulit omnes. Pure hic, in loco, nec multis, cum res postulat, agit; in uno autem illo illustrandæ orationis genere Deus est. Verborum delectum eloquentiæ originem Cæsar esse dicebat. Atqui alii semper aliquid habent, quod aut prorsus damnetur, aut saltem æque non probetur; vetustatem alii nimis dedita opera consectantur; in agrestibus, ac parum cultis se se alii magis oblectant; alii alio vitio laborant; unus Cicero tantum abest, ut quicquam tale in se admiserit, ut messem illam nobis, atque verborum omnium copiam omnem perpurgarit; qui nihil in sermonem, quod non Romanum oleret, quod ab ætatis suæ cultu, atque dignitate quicquam abhorreret, quod omni denique splendore non eluceret, prorsus intertexuit. Huc id accedit, quod hic solus, quam cæteri omnes simul una, plura conscripsit volumina; unde etiam nobis major copia suppeditari possit ad dicendum. Neque illi quicquam audiendi sunt, qui continuo objiciunt, Ciceronem non omnia attigisse; multa ex iis etiam, quæ scripsit, desiderari. Quare, a cæteris quoque hanc nobis locutionem petendam esse, satis inepte garriunt. Nam etsi ita est, ut de rebus omnibus Cicero non scripserit, ac ex eis etiam, quæ scripserit, voluminibus temporum iniquitate complura desiderentur, certe qui in eis, quæ extant, quæque leguntur, optime versatus erit, quique ejus dictionis formas probe, ac fideliter perceptas habebit, is eas ad quicquid volet commodissime transferre poterit. Siquidem ceram imitatur oratio, quæ, quo eam ad quasque formas confingendas deflexeris, facillime consequetur. Nollem hoc loco ineptus videri, qui summum Virum, principem, ac patrem eloquentiæ rei comparem abjectissimæ; sed parvis tamen, atque infimis maxima, atque nobilissima interdum recte conferri solent. Mihi, inquam, Ciceronis oratio cum locupletissimi sutoris taberna rectissime comparari posse videtur. Nam quemadmodum in ea omnium pedum, omnium formarum aptissima sunt calceamenta; sic ad omnes res oratione apte convestiendas locutio, atque dicendi formæ omnes ab uno Cicerone facile sumi poterunt. Neque enim dubitandum est, quin Cicero, si Historiam, si de re rustica co-

piosius, quam fecit, si item de cæteris rebus scripsisset; æque in iis omnibus scribendis satisfecisset, atque in iis, quas luculentissimo stylo complexus est, plane satisfecit. Quasi vero, quia Apelles non omnium rerum formas penicillo suo sit persecutus, ideo etiam, qui ad ejus imaginem optime fingat, is artem suam nisi ad eas formas, quas Apelles pinxit, accommodare possit. Aut qui in Oceano natare didicerit, non is item in cæteris aquis, cum usus veniat, id facile faciat. Ab hoc igitur uno Cicerone ut nusquam discedamus, ut in hoc hæreamus, atque perpetuo habitemus, meum est consilium. Si quis tamen in Historia aut Cæsaris puritate, aut Sallustii brevitate magis delectetur, id per me quidem sequi illi facillime licebit. Sed universæ locutionis dicendi studiosis sese duplex offert usus, & utilitas. Altera ex eo, quod non unam, atque eandem loquendi rationem esse dicebamus, ut qui Historiam scribat, si Cæsaris puritatem sequatur, Livii candorem, aut etiam Sallustii brevitatem parvi faciens; aut, cæteris omnibus posthabitis Scriptoribus, unius Ciceronis sese locutioni addixerit. Altera ex eo, quod hæc sua mutatione, addendo, detrahendo, omnem loquendi usum complexa est. De superiore quid sentiam, aut cujus Scriptoris locutionem magis probem, satis arbitror paulo ante, & passim multis aliis in locis a me esse demonstratum; nunc autem de posterioris usu, atque utilitate restat, ut copiosius dicatur. Quoniam igitur hæc animi indicium est, atque una hac potissimum quid velimus, quid non, cæteris aperimus, atque eloquimur palam; necesse est, ut jampridem nihil dici possit, quod millies non sit dictum prius. Qui igitur eadem sensa cum aliis sine justa reprehensione, quin etiam nostra cum aliqua laude proferamus, locus postulat, ut pluribus videamus; id, quod etiam polliciti sumus, cum de inventione, atque dispositione agebatur. Aut igitur quæ sunt ab alio dicta, nobis uti ab eo sunt dicta, integre, aut aliqua facta mutatione, aut addendo, aut detrahendo, proferenda sunt omnino. Ex iis autem, quæ integra manent, sunt proverbia, dicta, sententiæ, definitiones, & ejus generis cætera: ut si quis merces eo advexerit, ubi maxima earum rerum sit utilitas, alius eum hoc proverbio stultitiæ notet: *Noctuas Athenas*. Aut, si qui neget magnum in rem vilem sumptum se facturum, illud apte

&

& facete usurpet : *Unum pœnitere tanti non emo*. Aut, cum Vir probus significabitur, si quis dixerit : *Dignus est, quicum in tenebris mices*. Aut, cum nimis largum intra beneficentiæ leges retinendum esse, hoc quispiam modo argute præcipiat : *Largitio fundum non habet*. Quæ omnia, & quæ sunt hujus generis reliqua innumerabilia, quoniam vulgo facta sunt communia, quo primum ab eo sunt accepta, eo modo sunt perpetuo ab omnibus communiter usurpanda. Dicta vero, sive ridicula, sive joci, sive quoquo nomine alio appellentur magis, & hæc eo modo proferri solent integre, quomodo sunt a suis Auctoribus prolata; ut cum novum hominem in consessum amplissimum, ac eo loco minime dignum, sed ut fit, Principum vitio ascitum, locum sibi quærentem, quis ad hunc modum facete mordeat : *Te equidem reciperem, nisi anguste sederem*. Item, si quem se nimis jactantem in agendo notaremus hoc modo : *Quis loquitur e lintre?* Item, si quis in furacem servum illud amphibolon usurpet : *Solus est, cui domi nihil est nec obsignatum, nec occlusum*. Ita in male olentem, *Circumventus sum*, si quis dixerit : si vero plures adsint : *Circumventi sumus*. Ita illud in adulterum, qui in facto deprehensus sit, cum quis interrogaret, quid videretur? quis responderet : *tardus*. Ita, cum parem gratiam nos promittimus relaturos, eo modo : *Ut sementem feceris, ita metes*. Sententiæ quoque iis ipsis verbis, eo ipso integro conservato ordine, quo prius constructæ sunt, recte proferuntur; ut Cicero illud Terentii protulit :

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Item illud Ennii :

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Neque id non ita :

O Tite, si quid ego adjuto, curamve levasso,
Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa,
Ecquid erit præmi?

& in cæteris ad hunc modum omnibus. Definitio sententiam sequitur, ut illud : *Jus naturæ, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis affert, ut religionem, pietatem, gratiam, vendicationem, veritatem*. Ita : *Jus Civile est æquitas constituta iis, qui ejusdem sunt Civitatis ad*

res suas obtinendas. Ita: *Justitia est habitus animi communi utilitati conservata, suam cuique tribuens dignitatem*. Quas omnes, & harum etiam similes cæteras definitiones si quis integras usurpet, non faciet inepte; si tamen aliquid de suo addat, aut etiam totam eandem a se confecerit, modo a definitionis natura, & lege non discedat definiendo, æque ei facere licebit; ut Cicero in Justitia fecit definienda, qui aliis verbis, atque est supra adductum, sic eam definivit:
Justitia est affectio animi suum cuique tribuens, & societatem conjunctionis humanæ munifice tuens.
Item aliis eam definiens dixit, qui ad Herennium scribit, cum ait:
Justitia est æquitas jus unicuique tribuens pro dignitate cujusque.
Ut non addam multa alia, quibus aut describitur, aut significatur hæc virtus non uno modo. Quin etiam in sententiis quoque aliquid & addi, & commutari, modo remaneat sententia, permitti videtur: ut si quis illud Platonis, *Principem Civium benevolentia, non armis septum esse oportet*, ad hunc modum quasi suum id efficiens, dicat: *Næ illi maxime tuti sunt Principes, qui magis suorum Civium benevolentia, quam armis septi sunt*: Quemadmodum etiam Cicero facit in Terentio paulo etiam liberius. Ille enim ait:
Non Apollinis magis verum, atque hoc, responsum est.
Cicero autem sic:
Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta; nihil potest esse verius.
Eam autem ejusdem Terentii non solum commutavit, sed etiam ad imitationis formam optime tractavit. Ille enim ait:
Malo coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet; si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit.
Cicero autem sic:
Quoad metueres, omnia te promissurum; simul ac timere desisses, similem te futurum tui. Sed quoniam casu, quod artis fuerat, in ipsam commutandi rationem incidimus, quæ propositionis nostræ pars erat altera, eam pergam absolvere. Aut igitur, quod ipsi eloquimur alienum, id nobis erit omnino incognitum: aut etiam sæpius perlectum.

ctum. Si prorsus ignorabimus; & iis verbis, & eo ordine, quo alius protulerit prius, numquam a nobis proferetur; sin autem in eorum vestigia omnino dicendo incurremus, magnum tum orationis nostræ testimonium habere poterimus, eam minime esse contemnendam, quæ eadem sit optimorum. Si vero in perspecto versabimur, nos una hæc multiplex commutandæ orationis ratio prorsus ab omni furti accusatione liberabit. Quam viam C. Carbonem tenuisse, Cicero scriptum reliquit. Siquidem hic, cum se exerceret ad dicendum, quod ex probatissimo aliquo aut Poeta, aut Oratore memoria comprehendere posset, idem suo modo exprimere, atque proferre conabatur. Videbat scilicet industrius Orator hanc exercitationem maxime ad dicendi copiam pertinere. Neque mihi nunc L. Crassi quantacunque auctoritas sit, hoc unquam eripiet, ut quod a bonis omnibus fieri videam, illi concedam, turpe esse ad imitandum; cum Cicero quoque ille ipse, qui sub Crassi persona ea improbare simulabat & aliter senserit, & fecerit semper. Hoc igitur jus acquirendæ alienæ sententiæ possessionem æquam commutatione, additione, detractione facile consequemur. Commutandi autem genus est duplex; unum ordinis; verborum alterum. Cum autem nunc ordinis dico, intelligo tantum ordinem iisdem manentibus verbis in aliam faciem redactum. Hujus autem commutandi ordinis ratio triplex est. Una, cum dicitur retro, ac quasi sursum versus idem, quod directe dictum prius offenderis; altera, cum intercise; tertia, cum verba omnia, & cola ipsa tuo arbitratu permiscentur. Cum retro ordine, ut si id Terentii, *Salvum te advenire, Demea, gaudemus*, quispiam sic faciat mutando: *Gaudemus, Demea, advenire te salvum*. Item illud: *Numquam rem facies: abi, nescis inescare homines, Sannio:* si sic item commutetur; *Sannio homines inescare nescis, abi, facies rem numquam*: quemadmodum ipsi paulo superius dedita fecimus opera, qui in hac commutatione distribuenda ex ipso Cicerone locum pœne integrum retro ordine per singula verba remenso transtulimus. Intercise autem permutare tum intelligo, cum periodus inciditur, ac oratio per cola ipsa in ordinem alium componitur, ac ipse ambitus, partibus integris commutatis, in alium orbem, atque in quadrum nostrum concinnius digeritur;

ut

ut illud Ciceronis in Oratore: *Cur igitur Jus Civile docere semper pulchrius fuit? hominumque clarissimorum discipulis domus floruerunt? ad dicendum si quis acuat, aut adjuvet in eo juventutem vituperetur?* Si intercise invertatur sic: *ad dicendum si quis acuat, aut adjuvet in eo juventutem, vituperabitur? Cur igitur Jus Civile docere semper pulchrius fuit? hominumque clarissimorum discipulis domus floruerunt?* Ad hunc autem modum Terentius se ipsum convertit. Ait enim in Eunucho in Thaidis persona: *Sola sum; habeo hic neminem, neque amicum, neque cognatum*. In Adelphis autem hoc idem agit per conversionem, ubi ait; *Neminem habeo; solæ sumus; Geta autem hic non adest*. Sed aptissime Cicero hoc genere conversionis tum usus est, cum id Gracchi per cola convertit. Nam cum ille diceret: *Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet*. Cicero autem sic: *Quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare*. Aptissima est in postremo membro facta commutatio. Meus autem Flaminius hanc convertendi rationem tum egregie persecutus est, cum ait in sua paraphrasi: *Dum perpetuo cuncta sursum, ac deorsum commeant, rerum generatio, & interitus circuitum conficit, & quasi orbem quendam. Ex terra enim humor, ex humore nascitur aer, ex aere ignis: & deorsum versus, ex igne aer, ex aere oritur humor, ex humore terra ultima*. Quæ Cicero eadem retro verso ordine prius in hunc modum tulerat. *Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere æther*. Deinde retrorsum vicissim. *Ex æthere aer, ex aere aqua, ex aqua terra infima; sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citroque commeantibus Mundi partium conjunctio continetur*. Tertium autem commutandi genus est, cum eisdem verbis nullo primo eorum ordine conservato, neque colorum ulla ratione adhibita, sed cum nos novum, ac liberum nostrum efficimus ordinem: ut si quis illud: *Tibi autem id consilii do, quod mihimet ipsi; ut vitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus*. Si quis, inquam, suo id modo commutans sic efficiat; *Idem autem tibi do consilii, quod ipsimet mihi; ut, si minus hominum linguas facile possumus, oculos vitemus*. Quorum trium commutandæ orationis generum primum nimis puerile, nimisque elaborati est studii, atque inanis industriæ, si simpliciter fiat:

quare

quare etiam maxime devitandum. Secundum paulo tolerabilius, sed neque hoc quoque admodum factitandum. Neque enim commode cadet, ut sæpius fieri possit. Tertium longe omnium est liberius, & propterea etiam commodius, quodque crebro usurpetur; modo illud etiam atque etiam diligenter attendatur, ne, commutatione facta, quodammodo dissolvatur, atque enervetur oratio. Nemo enim jampridem nescit [ut versum nunc omittam, qui hanc commutandi rationem vix ad se admittere posse videtur] solutæ quoque orationi suum certum numerum adesse: quæ si mutetur ad eum modum, magnum periculum est, ne, quod apte compositum fuerat prius, dissolutum reddatur; ac, quod structura ipsa ad numerum optime concinebat, ne absonum, atque asperum quid resonet commutatum; quæque fortiter priore conglutinatione continebatur, recenti, ac nova tota delumbetur oratio; nisi res ea nobis prorsus sit cum dissoluto, ac parum composite loquenti. Nam verba omnia non ita sunt in quadrum confecta, ac quasi affabre laborata, atque expolita, ut quoquo compositionem tuam instituas, eam æque apte sequantur, atque inter se quaque versus adhæreant aptissime. Verborum autem commutandorum alterum erat genus. Hoc item duplex est; unum cum verba ipsa remanent, sed in se ipsa quodammodo commutantur; alterum cum jam positorum verborum loco alia, quæ idem significent, aptissime reponuntur. Cum autem remanent, sed non ita, ut erant posita prius, multis id quidem fit modis, ac quam commodissime omnibus. Aut enim per casus fiet, ut ubi alius dixerit *injuriarum oblivisci, fortissimi esse hominis*, si tu *injurias* per casum commutaris. Item, si ille *summo honore dignum Patriæ liberatorem*, tu *summi honoris*; aut si sit, *visendi caussa aliquem*, tu facias, *alicujus*. Ita in cæteris aut vocibus, aut verbis, quæ diversos sibi casus adsciscant. Quam mutationem sequuntur etiam illa, *te vehementer amo*; *tu a me vehementer amaris*. Sed mira illa, atque elegantissima in Cæsare est casus commutatio in primo libro de bello Gallico, cum ait: *Equitum millia erant sex, totidem numero pedites velocissimi, ac fortissimi*. Nam recta compositio, si ad superiorem partem respondeat, hæc erat: *totidem numero peditum velocissimorum, ac fortissimorum*; quemadmodum equitum dixerat. Neque illud non in-

ineleganter usitatum est, quemadmodum dixit Terentius: *Populo ut placerent, quas fecisset fabulas*. Aut per numerum: ut, ubi ille: *Ego omni officio*, si quis dicat, *ego omnibus officiis*; & ubi *ego*, si *nos*. Item in verbis; ut illud, quemadmodum paulo superius dicebamus: cum unus sit, qui loquatur. Illa vero numeri permutatio perquam venusta est, qua utitur Terentius in Eunuchi prologo. Sic enim in ipso ait initio:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis, & minime multos lædere,
In his Poeta hic nomen profitetur suum.

Nam cum *quisquam* dixisset, ac ad eum numerum pari numero respondendum esset, multitudinis tamen numero usus est: perinde atque, *si qui sunt*, non autem, *si quisquam est*, initio si protulisset. Item in eadem fabula:

Adeon' homines immutarier
Ex amore, ut non cognoscas eumdem esse?

In *eumdem* numerus mutatur. Proprius enim erat, si dixisset *eosdem*. Item alibi: *Cujus mos maxime est consimilis vestrum, hi se ad vos applicant;* ubi ad *cujus*, *hi* postea intulit: cum aut dicendum fuit, *quorum mos;* aut si, ut est, *cujus hic se ad vos applicat*, magis subdendum erat. Aut per personas: ut si quis illud convertat. *Quid igitur faciam? quid igitur faciat?* Aut etiam simul utrumque, & numerum, & personam: ut, *quid igitur faciant?* Ita in nomine; ut, ubi *ego;* alius *tu*, *ille:* ita & in cæteris. Ex quo genere illud est, cum quis de se loquitur, tertiam tamen personam loquentem inducit: ut illud Parmenonis de se ipso: *Dii vestram fidem, quantam, & quam veram laudem capiet Parmeno*. Quam personæ commutationem Cæsar modestissime in suis Commentariis perpetuo executus est: qui cum de se ageret semper, fere nunquam a se quicquam protulit. Aut per genus: ut, *illum diem*, si tu, *illam diem;* ut etiam, *quantum suavitatis*, si *quanta suavitas*. Aut per modos: ut, *Fac isthæc recte curentur*, si tu, *facias*, dixeris: ut illud; *Æquum est vos cognoscere, atque ignoscere:* si tu *æquum est, ut vos cognoscatis, atque ignoscatis*. Aut per tempus: ut, *ipse viderit*, pro *videbit:* ut Terentius in Eunucho: *Nisi ego me turpiter hodie hinc dabo*, pro *dedero*. Aut per interrogationem, aut negando, aut affirmando, aut quæ ejus generis sunt reliqua.

Al-

Alterum autem commutandorum verborum genus erat, cum verbis ipsis verba alia subjiciuntur idem significantia; cujus generis quanta vis sit in hoc ipso, quod alienum est, commode usurpando, nihil attinet dicere; quando pœne oratio ipsa nihil aliud sit, quam ad hunc modum loqui. Id autem quatuor modis fieri potest, ut cum proprium aut proprio, aut figurato; figuratum aut figurato, aut proprio commutatur. Nam cum omnis oratio sit aut propria, aut figurata, [cum autem ego nunc figuratum dico, mutuatum, translatumque intelligo] ac plura sint in utrisque synonyma, horum utraque aut cum suo, aut cum alterius genere commutantur facillime. Ita verborum commutandorum modi fiunt quatuor, ut si in propriis quis, *dives*, dixerit; aut in figuratis, *cui abunde sit*, tu in propriis aut *locupletem*, aut *copiosum*, ac *pecuniosum* reponas; in figuratis autem pro *cui abunde sit*, si tu dixeris, *cui amplæ sint fortunæ; cui ingentes, cui magnæ, & locupletes copiæ, & fortunæ;* aut *si florentem omnibus copiis*; aut *qui vivit in omnium rerum abundantia;* aut *cui rerum omnium copiæ suppeditant*; aut *cui innumerabilis est pecunia*; aut *cui res sit ampla, & præclara;* aut *qui agit quam facillime;* aut *cui res familiaris quam facillima sit;* aut *qui ab omni re optime paratus sit;* aut *qui Crassum fortunis*, aut *Crassi fortunas facile superet*; aut *cui nihil desit ad omnia commoda*, *ad beate vivendum*, *ad beatam vitam*. Ita & pro proprio figuratum, & pro figurato proprium, si ad hunc modum quis reposuerit. Ita si pacem *alius*, tu *otium*, tu *concordiam*, tu *quietem*, tu *tranquillitatem*. Pari item ratione in figuratis, ut si ille *nullum bellum* dixerit, tu *omnia tranquilla; nullam dissensionem*; *omnem concordiam; summam animorum consensionem omnium*, *atque conspirationem*; *omnes omnium animos optime consentientes; ubi nulla belli suspicio sit*; *ubi otium perpetuum agatur* dixeris. Si postremo is *amat* dixerit; tu cum *diligit*, *adamat*, *colit* facile commutabis. Si item ille, qui *amore aliquem prosequatur*; tu contra *benevolentia; qui illi primas in amore deferat; quem in oculis, quem in sinu ferat, neque se umquam discingat; qui in intimis, in ære suo, in amore habeat; qui eum denique pereat, depereat, impotenter amet;* ipse mutuabere. Si vero ille ad hunc modum, tu contra alio; aut similia similibus, aut etiam ex altero genere re-

ĉte

cte respondebis. Sed nullus finis erit, si pergo reliqua, quæ in universa Latini sermonis locutione ad hunc modum commutari possunt. Nulla enim vox tam propria est, cui soli proprietatis suæ jus totum attribuatur: figuratis autem longe locupletior est varietas. Terentius in proprio sic commutavit. Ait enim:

Atque itidem fallas, ut ab illis fallimur.

Quam proprie dictum sit vides. Iterum alibi ait:
Hiscine tu, amabo, non contra insidiabere? in propriis nunc facta est commutatio.

Proprio autem figuratum subjecit eo in loco. Nam cum dixisset: *Id vero serio triumpho*; paulo post subdidit:

Quod mihi puto palmarium.

Ita Maro in ipso Terentio; qui cum dixisset,

Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea.

Figurate commutavit hoc modo:

Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni.

Hactenus de commutatione tantum. Nunc vero simul & de additione, & detractione copiosius agetur: tametsi in hunc quoque locum omnium orationem concludam necesse est; si, quotquot occurrerint, exempla conabor adscribere. Nihil enim est in omni oratione dictum, quod in horum genere aliquo dictum, ac comprehensum non sit: ut illud Virgilii:

Namque manus inter, mœstorumque ora parentum
Ecce levis summo de vertice visus Juli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Quam rem eandem magna facta & commutatione, & additis non paucis, Maro ipse persequitur in septimo, cum ait:

Præterea castis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem astat Lavinia Virgo,
Visa (nefas) longis comprehendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.

Res eadem est in portento, locutione autem admodum & diversa, & aucta. Variatio in iis est [ut nunc locorum, personarum, officii, ac cæterarum rerum varietatem omittam] ut, pro *lambere flamma comas*, dixerit,

&

& longis comprehendere crinibus ignem; ubi pro *lambere*, *comprehendere*; pro *comas*, *crinibus* positum vides. Item pro *ecce*, quæ particula repentini, ac novi semper aliquid afferre solet, *nefas* reposuerit, sed multo plura sunt addita; ut illa omnia:

Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.

Item illud:

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?
Quove tenetis iter?

Quod idem egit alibi variando, addendo, cum ait:

Et procul e tumulo, juvenes, quæ caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit:
Qui genus? unde domo? pacem ne huc fertis, an arma?

In quo quoque exemplo quid commutatum, quid additum sit, facile apparet. Convivii hic item apparationem primum paucis perstrinxit in tertio Æneidos; ea autem hæc sunt:

Tum littore curvo
Extruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.

In septimo autem rem eamdem pluribus expressit, atque ornavit cum variando, tum addendo, cum dixit:

Æneas, primique duces, & pulcher Julus
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ,
Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis (sic Juppiter ipse monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.

Idem facit in equo Trojano describendo, cum ait:

Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant, sectaque intexunt abiete costas.

Item paulo post sic ait:

Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, Cœloque educere jussit.

Detractio autem erit, si loco exempla commutentur, ut, quæ primo dicta sunt, secundo si dicantur in loco. Ille autem; quisquis is fuit, sive is etiam Maro non fuerit, se ipsum tribus hisce coloribus variando, addendo, detrahendo optime commutabat; sive cum sui imaginem ex aqua multis modis, atque non omnibus inepte exprimebat; sive cum idem pervarie effecit in glacie currum

ſuſtinente; ſive cum multo ſplendidius verſibus ſuis Irim variarit, quam ſe ipſa coloribus variet Iris; ſive cum Auroræ, & Solis ortum quaternis verſibus multifariam deſcripſit; ſive denique cum ſignis Cœleſtibus, aut in Herculis laboribus, aut in cæteris ejus generis ſe variando exercebat. Quorum omnium verſus eo non adduxi, ne, quod neceſſe erat, longiſſimum facerem. Satis ſit hoc loco eos indicaſſe. Sed pergo cæteros. Terentius in Eunucho in Chæreæ perſona, cum amicam e conſpectu imprudens amiſiſſet, in hæc verba graviter conqueritur:

Ubi quæram? ubi inveſtigem? quem percuncter?
Quam inſiſtam viam? Incertus ſum:

Quem locum in eadem fabula ſic variavit paulo quidem preſſius:

Ubi ego ſceleroſum miſera, atque impium inveniam?
aut ubi quæram?

Id vero omnium aptiſſime commutatum, atque variatum eſt, cum ait:

Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur ſibi,
Nulla mala re expolitam muliebri;
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter.

Quam item pulchritudinem ſic deſcripſit in Phormione, ut, niſi addantur, ac varientur pauciſſima quædam, una eademque ſit, cum ait:

Virgo pulchra, & quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem:
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida,
Lacrymæ, veſtitus turpis: ut boni ni vis
In ipſa ineſſet forma, hæc formam extinguerent.

Item cum ſilentium ab auditoribus orat, inquiens:

Date operam, & cum ſilentio animadvertite.

Puſilla commutatione facta, idem orat in Phormionis proœmio, hoc modo:

Date operam, adeſte æquo animo per ſilentium.

In Adelphis autem, orbas meminit proximis ſuis nubere legem cogere: id autem hoc modo:

Hic meus amicus illi genere eſt proximus;
Huic leges cogunt nubere hanc.

Hanc eamdem legem in Phormione adducit, ſed paulo laxius, ubi ait:

Lex eſt, ut orbæ, qui ſint genere proximi,

His

His nubant, & illas ducere eadem lex jubet.

Additum est; variatum est; commutatum est; idem tamen est utrumque. In Andria item virginis egestatem, ac vivendi difficultatem his verbis prosequitur:

Primum hæc pudice vitam, parce ac duriter
Agebat, lana, ac tela victum quæritans:

In Adelphis senis fratris avaritiam in Mitionis persona pene iisdem verbis expressit:

Illa contra hæc omnia,
Ruri agere vitam, semper parce, ac duriter se habere.

Sed jam ad eos, qui soluta scribunt oratione, ac statim ad unum Ciceronem veniamus; quamque hic & aptus & frequens sit in tota hac commutandi ratione, diligenter videamus. Continuo autem hic se excusat ad Curionem, quod post longissimum tempus ei gratuletur, caussam in primis in locorum distantiam conferens: ejus hæc sunt verba:

Sera gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est: longe enim absum: audio sero.

Hac item ipsa utitur excusatione ad Cœlium, sed eam pluribus verbis, atque alio ornatu persequitur hoc modo:

Serius non negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium. In his enim sum locis, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferuntur.

Nolim te posthac expectare, dum ego, quæ verba commutata sint, quæ detracta, quæ addita, tibi nominatim ostendam: res enim per se maxime patebit. Crebram item animi sui cogitationem de re aliqua non semel, nec eodem modo, etsi eodem fere semper in loco iste ipse protulit. Primum, cum ait in proœmio de Inventione:

Sæpe, & multum hoc mecum cogitavi.

Secundo ad Q. fratrem in proœmio de perfecto Oratore dicens:

Cogitanti mihi sæpenumero, & memoria vetera repenti.

Tertio hanc cogitationis assiduam diligentiam repetit his verbis in proœmio ad Brutum:

Utrum difficilius, aut majus esset, negare tibi sæpius idem roganti; an efficere id, quod rogares, diu, multumque, Brute, dubitavi.

Quarto item in proœmio secundi libri de Divinatione, sic inquiens:

Quærenti mihi, multumque & diu cogitanti.

Quibus omnibus in locis eandem cogitandi diligentiam, ſed non iiſdem verbis Ciceronem ſignificaſſe, planius conſtare non poteſt. Primum enim *ſæpe*, *&* *multum* dixit. Secundo autem una voce duas complectitur, quæ eſt *ſæpenumero*. Tertio rediens ad eumdem numerum adverbiorum ait: *diu multumque*. Poſtremo *multumque & diu* dupliciter conjunxit. Illud item ad hunc modum multifariam protulit in libris Oratoriis. Primum cum ait: *Deinde eſſe omnem orationem, ut de infinitæ rei quæſtione ſine deſignatione perſonarum, & temporum, aut de re certis in perſonis, ac temporibus locata.* Secundo item in loco ſic: *Duo prima genera quæſtionum eſſe, in quibus eloquentia verſatur; unum infinitum, alterum certum.* Tertio item rem eandem alio modo peragit, cum dicit: *Duo ſunt, ut initio dixi, quæſtionum genera; quorum alterum finitum temporibus, & perſonis, controverſiam, cauſſam appello; alterum infinitum nullis neque perſonis, neque temporibus notatum, propoſitum voco.* Poſtremo cum ait: *Hæc igitur quæſtio a propriis perſonis, & temporibus ad univerſi generis orationem traducta appellatur Theſis.* Quibus in locis una tantum de re agi, idque perquam varie, neminem arbitror non videre. Illud item in iiſdem libris dicendo variavit ſæpius. Id item hoc modo: *In utraque autem re quicquid in controverſiam veniat, in eo quæri ſolere; aut factum ne ſit; aut, ſi eſt factum, quale ſit; aut quo etiam nomine vocetur; aut, quod nonnulli addunt, recte ne factum eſſe videatur:*

Quod ipſum ſecundo agit his verbis:

Nam quicquid eſt, quod in controverſia, aut in contentione verſetur, in eo, aut ſit ne, aut quid ſit, aut quale ſit, quæritur. Tertio autem ſic: *Omnis res, quæ habet in ſe poſitam in dictione, aut diſceptatione aliquam controverſiam, aut facti, aut nominis, aut actionis continet quæſtionem.*

Ita in libris de Officiis bis eandem exequitur ſententiam; neque minus ſplendide, quam etiam varie. Sic enim ait: *Idque ſuis commodis, non honeſtate metitur: hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, fit, ut neque amicitiam colere poſſit, nec juſtitiam, nec liberalitatem.* Item autem dixit: *Qui autem omnia metiuntur emolumentis, & commodis, neque ea volunt præponderari honeſtate, hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non ſolent.*

Re

Re hic eadem ubique idem est, dictione autem omnino alius.

Ter item illud ad hanc commutandi rationem, bis ad Trebatium, semel autem ad Curionem quam aptissime variavit. Ita enim ait ad Trebatium: *Ego enim desiderium tui spe tuorum commodorum consolabor; sin ista sunt inaniora, recipe te ad nos.* Item ad eumdem: *Sic enim tibi persuadeas velim, unum mihi esse solatium, quare facilius possim pati te esse sine nobis, si tibi id esse emolumento sentiam, sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius; me, qui te non Romam attraham; te, qui non huc advoles.* Eadem est sententia: multa tamen commutantur, complura etiam adduntur, ad pleniorem membri absolutionem. Sed neque tertio minus varie hoc ipsum agit ad Curionem, sic inquiens: *Ego te abfuisse tamdiu a nobis & doleo, quod carui fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ; & lætor, quod absens omnia cum maxima dignitate tua es consecutus; quodque in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna responderit.* Qui tertius locus non tam re idem est cum superioribus, quam oratione, eaque persplendida omnino alius. Illo vero nihil venustius, nihil magis commode est dictum: cum iste ipse bis in reddenda pecunia, & referenda gratia perurbane jocatur, dicens: *Quamquam dissimilis est pecuniæ debitio, & gratiæ. Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id, quod reddit; qui autem debet, is retinet alienum: gratiam autem & qui refert, habet; & qui habet in eo ipso, quod habet, refert.* Item autem cum agit de Officiis, hoc ipsum repetit hoc modo: *Commode autem quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse; & qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui reddiderit habere; & qui habeat, retulisse.* Ecquid aptius, quid coloratius alio, itemque alio modo potuit dici? Non ita ver floribus prata variat eadem, ut hic rem eandem oratione, atque verbis varie pertractans illustrat. In consolando autem neque id semel usurpat, quod est ad Atticum: *Sed ad hæc omnia una consolatio est, quod ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.* Item ad Titium agit, sed multo id copiosius, multoque magis splendide, cum ait: *Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore, atque in animo habere debemus; ho-*

mines nos ut esse meminerimus ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra. Satis hactenus fortasse factum esse potuit ei rationi, quæ ad commutandam orationem ex ipsa imitandi facultate constituta est; non ab re tamen esse sum ratus, si id quoque ex iis, qui nostræ sunt ætatis, longe etiam planius comprobassem. Siquidem recentiorum exemplis, quam etiam majorum quodammodo facilius hoc, quo de agimus, sentiri, ac percipi solet. Ac quoniam, si ex omnibus Scriptoribus, qui plane Latine scribunt, ea petere voluissem, periculum erat, si pauca ex singulis citassem exempla, ne opus nimis fortasse mendicatum videretur; sin, quæ possem, omnia colligerem, ne ingenti volumini nullus finis esset futurus; unum mihi, eumque Christophorum Longolium delegi, & quoniam is jampridem decessit, ut in eo nullam illi cæterorum invidiam concitarem, neque id ego ulla ambitione adductus fecisse accusari possim; & quoniam is [mea quidem sententia] cum hanc convertendi rationem, tum totam imitandi facultatem optime consecutus est. Leguntur hujus defensiones duæ in suos adversarios: ad Lutheranos item Oratio una, summa omnes eloquentia peroratæ. Libri item quatuor epistolarum ad familiares, atque amicos Latinissime conscripti: tametsi nondum is erat omnino Longolius, cum decessit; quem nobis ejus scripta vel brevi fore pollicebantur; in quibus tamen omnibus ita Ciceronis locutio, atque dicendi formæ omnes æque apparent, atque elucescunt, ut qui, quomodo Cicero, loquatur, unus tandem extitisse videatur Longolius. Sed quoniam secus quibusdam videri sentio, hanc meam paucis de tanto Viro opinionem ut probem, simul autem & eorum refellam, atque confutem, ad hunc locum pertinere videtur. Continuo igitur isti id huic crimini dant, quod ex Cicerone tam palam centones consuere, furemque manifestum agere non dubitarit. Qui vero cum eo lenius agunt, eum Ciceronis corniculam appellant; ut omnino in sua elaborata oratione, ac illo dictionis genere perpurgato furti notam, ac mali consarcinatoris nomen vitare non potuerit. Scilicet equidem hanc arbitror fuisse maximam caussam, quamobrem hunc primum ex Romana Civitate deturbare conati sunt ejus adversarii: nunc vero isti quoque ex Latio dejicere tam ini-

que

que contendunt, quod tam male de Latino sermone sit meritus; qui Ciceronem etiam [si Diis placet] in centones puditissime consuere nihil sit veritus; quod hunc unum tam fœde coinquinarit, atque tam palam totum compilarit. Longe in hac parte æquiores habuit adversarios urbanos Longolius, a quibus nullum verbum de violata Latina oratione, nulla furti, nulla hujusmodi centonum facta est significatio. At quam recte novi isti Latini accusatores suis ineptiis Latinum hominem urgeant, videamus. Ac primum, quod ad centones attinet, cupio equidem isti mihi tandem ostendant, qui sint in Longolio isti tam putidi centones. Nam ego illos ex me nondum potui deprehendere. Nam si centones consuere est dedita opera, atque de industria pars integra cum parti integræ assuitur, ubi ne verbum quidem nostrum interponitur, sed ex alieno totum opus conficitur; ubi ad eum modum ridicule orationem suam conglutinet Longolius, numquam equidem potui deprehendere. Expecto autem versum unum isti mihi tandem pronuncient eo modo scriptum. At id parum a centonibus differt, quod componit Longolius. Ecquid autem id est? neque enim satis intelligo. Cum scilicet ex Ciceronis multis locis unum sibi conficit, atque consabricatur locum. Cupio tandem istos locos noscere. Vel casu ejus volumen aperias: ubique in eos legendo incideris. Aperui sæpius, legi, perlegi; nusquam istam ridiculam, atque insulsam conglutinationem offendi. Proferte quæso vos tandem, quod caussam vestram probet. Id autem tam cito, Cicero ad Atticum ait: *Crebras expectationes nobis tui commoves*. Ita est. Item ad A. Cæcinnam: *Quotiescumque filium tuum video (video autem fere quotidie) polliceor &c.* recte sane. Item alibi dixit: *tertio quoque verbo*: & id quidem venuste, & pereleganter: necnon, *animi caussa*, semel neque id quidem impolite. Quid tum postea? Longolius autem in unum membrum hæc omnia: vel in centonem potius unum contexuit ad suum Grimoaldum, cum ait: *Crebras adventus tui expectationes Lazarus Bonamicus nobis commovit: qui te, quoties isthinc rediisset (redibat autem septimo fere quoque die) huc animi caussa propediem exiturum nuntiabat*. Quid autem hoc est, nisi est centones consuere? ex Cicerone Ciceronem construere? O crassam hominum stultitiam [non possum hoc loco non exclamare] qui in quo tota

 est

eſt & loquendi, & imitandi ratio, & via, id eſſe centones facere, tam inepte inſimulent: ut nihil mirum ſit, ſi hoſce ego centones numquam animadverterim, qui imitandi virtutem omnem in eo ſcribendi genere omnino mihi conſtituerem. Quæro ego nunc de vobis, optimi Latini [tametſi me veſtri magnopere pudet, qui tam ſtulte deſipiatis, ut in Sole etiam minime videatis] quæro, inquam, de vobis, ſi loqui ad hunc modum, centones eſt conſuere, non continuo ſequetur, ut omnes homines, poſt primos quoſdam, qui loquantur, in ſermone vitioſi ſint? ac quicquid loquantur, centones ipſos loquantur? quando vel tria verba ſimul dicendo conjungi non poſſunt, quæ iſto modo ſuopte uſu, ac magiſtra ipſa natura prius ab aliis conjuncta non fuerint quamplurimis. Si hoc, inquam, ita eſt, quod vos tam improbe contenditis, aut omnes in errore natura ipſa verſamur loquendo, aut ea recta eſt loquendi ratio & propria. Dicere autem naturam, & uſum bonis omnibus probatiſſimum in errorem nos trahere, naturæ eſt [more Gigantum] bellum indicere. Sequitur ergo, ut qui eo modo loquatur, veram loquendi viam teneat, & rationem. Quaſi vero iſta quoque ratione veſtra Cicero poſt tres illos de perfecto Oratore libros, quicquid iterum de arte ſcripſerit, non centonum in morem ſcripſerit: qui in re eadem eadem lingua, iiſdem dicendi figuris, ac pœne iiſdem etiam verbis uſus ſit. Quod quam dicendum ſit, ipſi videbitis. Equidem Scriptorem aurificem imitari mihi effingo, qui a magiſtro ſuo ad torquem componendum in capſula cum ſingulos annulos, tum ternos, aut quaternos prius habeat optime conſtitutos: qui ita ternis ſingulos, quam etiam ternos; atque ſingulis ternos, quam etiam ſingulos, ut quemque ſors in manus obtulerit, ad torquem ſuum componendum nullo diſcrimine conjungat. Sic faciet Scriptor, qui ex Cicerone magiſtro aut ſingula verba ſingulis verbis, aut etiam locutiones integras connectens; ita locutionibus integris locutiones item integras, ut etiam ſingula verba conglutinans, apte orationem ſuam componet, atque conſtituet. Quod vero ad Ciceronis corniculam attinet, ego cenſeo, canorum illum Cycnum ſi appellent, iſtos multo rectius facturos. Concinit enim ad ejus locutionis harmoniam ſuaviſſime Longolius, ac componit aptiſſime; denique plu-

plumam unam ex eo ſeſe induit, aut quicquam furatus eſt: niſi, quod ſit omnium commune, ſi id quis, cum opus eſt, in ſuum uſum converterit, id ei furti loco recte adſcribi poſſit. Quis enim neſcit, linguam nihilo magis Ciceronis propriam, quam Longolii, quam noſtram, quamque eorum, qui futuri ultimi ſunt homines, eſſe poſſe? Sed qui hoc in Longolio tam aperte ſentiant, in aliis autem non item, non fortaſſe erit ab re, ſi dixero. Certe id quam pauciſſimis explicabo. Cum jam tot dicendi genera ſint, quot pœne ſunt Scriptores; ſi quis ex omnibus promiſcue ſuam orationem componat, atque commiſceat, ac nullo delectu habito ad omnium conſuetudinem verba uſurpet, atque convolvat, hujus verbum nullum agnoſcetur alienum, ſuuſque ille ſemper videbitur. Si vero unum ex omnibus ſibi delegerit, ad cujus orationis genus ipſe ſuum quoque inſtituat, ac id aſſequatur, continuo ſentietur in alieno ore quaſi aliena loqui lingua; eoque etiam magis ſentietur, quo id is verius facere didicerit; quemadmodum in pictoribus, ac muſicis; quorum illi quoad coloribus ſuis ſuo utuntur arbitratu, ac lineas ſuas circumducunt in proprias formas; hi quamdiu ad numeros ſuos concinunt, nullam in illis cujuſquam imaginem deprehenderis; nullum in his numerum umquam ſenties alienum: ſi vero illi ad Titiani, hi ad Adriani imitationem ſe ſe addixerint, ac utrique ſuum conatum non eluſerint, continuo in iis Titianus pingere, in his Adrianus concinere videbitur. Idem in Scriptoribus evenire conſtat. Itaque etiam quia Longolius ab uno Cicerone loqui didicit, ac id egregie eſt conſecutus, neque omnia commiſcuit, ſed in uno eo ſe ſuaviter condivit, facile in eo Cicero quaſi loqui ſentitur; quem, iſti quoque multo rectius facerent, ſi in dicendo eundem magiſtrum ſequerentur, ac ad Longolii imitationem hujuſmodi centones conſuere ſtudioſius diſcerent, ac Ciceronis corniculam agere; ſuos autem neſcio quos de plebe infima Auctores prorſus dediſcerent. Ecquid autem, ſi iſtos etiam convincam non ſolum in hoc ipſo exemplo, quicquam aut verborum, aut ſententiarum alienarum non eſſe conglutinatum, ſed id etiam ad veram imitandi rationem rectius dici non potuiſſe? Nam ubi Cicero dixit, *Crebras tui commoves expectationes*, Longolius imitando commu-

mutavit a persona ad personam dicens loco, *tu*, *Lazarus Bonamicus*, loco autem, *tui*, quasi rem explicans ipsam, *adventum tuum:* ut Tempus etiam in Verbo commutatum omittam. Neque in eo, quod sequitur, membro minus est apte imitatus. Nam ubi ille: *Quotiescumque filium tuum video (video autem fere quotidie)* Longolius autem, *quotiescumque isthuc rediisset (redibat autem septimo fere quoque die)* ut per verborum mutationem totius membri imaginem in suum membrum commodissime transmutarit. Ubi enim ille, *filium*, hic, *isthinc*; ubi ille, *video*, hic, *redibat*; ubi denique ille, *fere quotidie*, hic, *septimo fere quoque die*, reposuit. In qua scribendi ratione perpetuo Longolium versatum esse paulo inferius multis ejus exemplis facile comprobabimus. At ne sit centones componere, sibi ex Ciceronis integris locutionibus vel integras epistolas conscribere: ne sit hoc ipsum ex alienis plumis sibi vestem conficere: quin etiam mutuari sit, atque pro suo liberius uti; ac postremo eo etiam modo recte imitandi rationem & ipse servet, & cæteris præmonstret. Quid autem cum eandem sententiam ab ipso Cicerone integram sumit, ac paucis quibusdam [ut melius facere didicit] commutatis verbis, ne furtum extet, eam sibi fucare conatur? Num id quoque erit optimi imitatoris? atque ejus, qui velit Ciceronis vestigiis insistere? Tamen a malitia non discedítis. Quasi vero non probatum sit, jampridem a nobis nihil dici posse, quod non sæpius sit dictum alias prius, ac hominum sensa quasi rotam esse, quæ perpetuo per verba circumvehantur. Virtutum omnium eædem sunt laudes hoc tempore, eruntque reliquos in annos, quas majores nostri reliquerunt. Num propterea si mihi vir justus laudandus acciderit, huic meo laudes eas impertire nequivero, quia in Fabricium alius eas prius contulerit omnes? De quo genere toto, quoniam a nobis abunde supra est dictum, non faciam, ut hoc loco pluribus agam; modo, qui id agit, ita suis verbis circumvestiat, atque amplectatur, ut, si non in certorum liberorum, certe in adoptionis jus venisse videatur. Verum hoc etiam ita sit, ut cuique liceat aliena etiam verbis suis sua quodammodo efficere, atque adoptare. Quid autem cum insolenter rem eandem, ac totidem verbis agit cum Cicerone? Num hoc quoque recte ab eo factum esse audebis con-

convincere? ut illud: *Si vales bene est; ego quoque valeo*. Item illud: *te etiam, atque etiam vehementer rogo, atque oro*. Item: *Quare mihi gratissimum feceris, si in ea re hominem ita commodaris, ut intelligat hanc commendationem sibi maximo usui fuisse*: & multa ejus generis alia. Ridiculum. Quasi vero hoc a Cicerone ipso non faciat, qui rem eandem sæpius iisdem verbis usurpare non dubitat, neque Virgilius crebro versum eundem, vel interdum duos, Homerus vero longe plures recte repetat; ut, cum hunc accusetis, Virgilium, Homerum, Ciceronem etiam accusetis. Sed quoniam ad sanitatem omnino [si fieri potest] revocandi estis, planius vos iterum, & sæpius docebo. Scitote igitur, quædam sensa, præter illa etiam, de quibus initio hujusce tertii libri agebamus, sic esse omnium communia, sicque suis certis verbis attributa, ut nulla religio cuiquam esse debeat, quominus ea, quemadmodum sunt prius ab alio usurpata, & ipse vel ad verbum usurpet, atque in usum suum convertat; ut hæc ipsa, quæ vos inanissime objicitis. Quis enim, quæso, ea aliter proferre etiam de industria, quam quomodo hic fecit, laboraret? Sed fac Longolius commutarit aliqua, atque id statim, quod tertio in loco posuistis. *Quare mihi gratissimum feceris*; fecerit ita: *id erit mihi vehementer gratum*; vel sic, *per mihi, per, inquam, gratum feceris*: dixerit etiam; *id erit mihi etiam, atque etiam vehementer gratum*: vel hoc modo, *scito id omnium mihi fore gratissimum*; videtis, ut in Ciceronem semper incurrat, necesse sit. Idem in postremo faciat membro. Si, ubi ait, *sibi maximo usui fuisse*, dixisset potius, *emolumento*, aut *utilitati*, aut *commodo*, aut *usui*, *& commodo*, pari ratione Ciceronis omnia agnoscerentur. Quid igitur fuit faciendum? Id quod hic fecit, & boni factitant reliqui; atque Longolium non pauca in suis scriptis sibi confinxisse, ac, ut eo modo, quo facit, loqueretur, & argumenta, & locutionem mendicasse, ne tu quidem negabis. Sane quidem, ut horum alterum concedam, facile impetrari potest, Longolium nonnulla epistolarum argumenta, quibus ad eum modum dictionem suam exerceret, percommode sibi effinxisse. Sed quid hoc est? num postremo insanitis? Primum enim hoc nihil ad eam rem, qua de agitur, facit omnino: deinde, si id maxime faciat, quid huic vitio datis, quod bonos omnes fa-

factitasse pernostis? atque adeo ipsi fortasse factitastis aliquando? Quid enim aliud in scholis tota illa puerilis est exercitatio? Quid item declamationes? Quid denique res Poetica? nonne pęne tota est efficta, atque simulata? Alterum autem, quod æque locutionem cum argumentis hunc mendicasse fateri me vultis, frustra agitis. Tantum enim abest, ut vobis in tantum hominem subscribam, ut magis ab eo esse non possim. Siquidem video tam belle, tamque apte inter se ejus scripta omnia consentire, ita & suo filo constare, ut nihil elaborati, aut studiose conquisiti in iis sentiatur. Equidem cum hujusmodi Ciceronis verborum delectorum, ac ejus ipsius castissimæ locutionis sectatoribus improbari malim, quam cum quovis vestrum in Cœlum ferri. Sed jam, quam hic noster apte, quam decenter commutando in Ciceronis orationem sese insinuet, videamus. Cicero sic ait ad Plancum: *Cum ipsum Furnium per se vidi libentissime, tum hoc libentius, quod illum audiens, te videbar audire.* Longolius autem sic commutavit: *Cum ipsius Antonii Francini adventus mihi per se jucundissimus fuit; tum hoc jucundior, quod ex multo, & accurato ejus sermone facile cognovi, eam mihi adhuc abs te præstari memoriam, atque benevolentiam, quæ sit ab homine amicissimo & longo usu conjunctissimo expectanda.* Vides, ut concinne a persona ad personam transiverit Longolius imitando? Item a persona ad rem, item ab affectu ad affectum nihil minus belle fecerit commutationem? At sic decenter, sic prudenter caussam jucunditatis suæ aliam subjunxit, ut nihil decentius, nihil prudentius. Quid autem illa, quæ est ex Cicerone ad Titium? Ita inquit Cicero: *Est autem consolatio pervulgata quidem illa, quam semper in ore, atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus conditione, vivamus; neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus.* Quam totam partem sic in suum usum aptissime commutavit Longolius, dicens: *Verum cum ea lege, atque conditione nati simus, ut nobis hæc, atque alia istiusmodi innumerabilia, velimus, nolimus, subeunda sint; meminerimus, nos esse homines; feramusque si non libenter, at toleranter certe, quod nullo consilio neque vitare, neque mutare possumus.* Neque illud me-

medius fidius insuavius, ac minus commutavit ornate. Cicero ait de Amicitia: *Tu autem, Fanni, quod mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amice.* Longolius autem ſic, ac pœne cum Cicerone ipſo rem eandem uſurpavit. *Qua quidem*, inquit, *tantum mihi tribuis, quantum equidem nec ipſe agnoſco, nec, ſi pudentiuſculus ſim, optare audeam.* Non confero verba; mutationem, additionem nihil recenſeo: res ipſa per ſe facile ſe totam oſtendit. Cicero item ait ad Lentulum: *Te ipſum, inquit, cupio, nihil opportunius potuit accidere. Niſi cum M. fratre diligenter egeris, dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpopondiſti.* Longolius autem locum eum mutuatus ſic ait: *Nam quod in epiſtola tua ſcriptum erat: amicum illum noſtrum tibi litem intendere de eo, quod tu illi de me recepiſſes, nec ego præſtitiſſem.* Item Cicero amoris erga ſe certiſſimam ſignificationem his verbis expreſſit aliquando: *Omnis amor tuus ex omnibus partibus ſe oſtendit in his literis, quas abs te proxime accepi.* Longolius autem hoc ipſum ſic effecit: *Amoris erga me tui veſtigia nullis opinor literis vel plura, vel illuſtriora imprimi potuerunt, quam iis, quas abs te proxime accepi.* Proprie Cicero, quod voluit, eſt executus. Longolio autem translatione locum illuſtrare magis placuit; idque, ut mihi quidem videtur, haud effecit obſcure. Queritur Cicero ſemel cum Cœlio, atque iterum cum Silio, ſibi verba deeſſe ad ſcribendum: auget utrumque locum Longolius ſolo in loco ad Laurentium Bartholinum. Cicero igitur ſic: *Putares ne umquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent, neque ſolum iſta veſtra Oratoria, ſed hæc etiam levia noſtratia? deſunt autem propter hanc cauſſam, quod mirifice ſum ſolicitus, quidnam de provinciis decernatur.* Hæc ad Cœlium; ad Silium autem ſic: *Non putavi fieri poſſe, ut mihi verba deeſſent: ſed tamen in C. Lenio commendando deſunt.* Cauſſam nullam hic affert. Longolius autem utrumque locum ſic æmulatus eſt: *Numquam fore putavi, ut aut res, de qua ad te ſcriberem, aut etiam verba, quibus tecum agerem, mihi deeſſent, præſertim ſi tam longo intervallo literas darem; ſed plane nunc deſunt. Hic enim quod ſcribam, nec quomodo ſcribam, ſatis occurrit. Nolim inſolens videri.* Si his in locis Ciceronis auctoritas auferatur, ac utriuſque tantum loci dignitas æque conferatur, non fortaſſe longe

ge inferior videbitur Longolius. Quid enim quæso huic membro ab omnibus suis partibus deesse potest? Omitto verbum verbo, rem rei conferre in re tam manifesta; id audeo dicere, Longolium gravius conqueri, qui non solum verba, quibus agat, sed etiam rem, de qua agat, sibi deesse conqueritur. Caussam autem quam veram afferat, quam alienam a Ciceronis caussa, ipse vides, cum inquit, *præsertim si tam longo intervallo literas darem*. Non faciam in his commutationibus longius. Possem enim totum Longolium in hanc partem describere, si omnes ejus commutationes persequi velim; jamque ad ea hujus ipsius exempla, quæ interioris sunt imitationis, devenio. Cicero scribens ad Memmium, ait: *Etsi non satis mibi constiterat, cum aliqua ne animi mei molestia, an potius libenter te Athenis visurus essem, quod injuria, quam accepisti, dolore me afficeret; sapientia tua, qua fers injuriam, lætitia; tamen te vidisse mallem. Nam, quod est molestiæ, non sane multo levius est, cum te non video: quod esse potuit voluptatis, certe, si vidissem te, plus fuisset*. Longolius autem sic locum est imitatus. *Nondum plane constitutum habeo, plus ne voluptatis, an doloris ex tuis literis traxerim; voluptatis, quod incredibilem tuam erga me benevolentiam præ se ferrent; doloris, quod me humanitate abs te victum, nec mibi jam integrum esse videam, ea adversus te usurpare officia, quæ tu amice quidem, sed meo magno pudore præripuisses*. Ecquid hoc loco desideratur ad veram imitationem? Eadem est propositio, eadem propositionis ratio, una tota est rei pertractatio; verba non eadem, sed idem magna ex parte significantia. Est item hoc Ciceronis ad Pætum. *Dupliciter delectatus sum tuis literis, & quod ipse risi, & quod te intellexi posse ridere*. Hanc quoque partem Longolius sic est imitatus. *Varie sum hodie tuis literis affectus. Qua enim officia tua in me commemorabas, fuerunt mibi non insuaves; qua vero ad te esse allatum significabas, mibi epistolam nescio quam tuam non satis probari, haud mediocrem molestiam mibi attulerunt*. Dupliciter delectatus est Cicero ex amici literis: Longolius partim lætatus, partim dolore est affectus. Caussam uterque affert suam; sed quod Cicero paucis absolvit, Longolius fortasse caussæ suæ deserviens, suam pluribus pertractavit. Queritur item Cicero, se non habere cui tuto literas suas committat, cum

ait

ait ad Lentulum : *Quod si rarius fiet, quam tu expectabis, id erit caussæ, quod non ejus generis meæ literæ sunt, ut eas audeam temere committere.* A literis autem ad rem ipsam imitando transtulit Longolius, cum ait : *Quod nihil adhuc literarum ad te dedi, non id quidem caussæ fuit, quod scribendi argumento destituerer, sed quia ejus erant generis res, quæ literis recte committi non possent.* Tametsi hoc ipsum alias fecit Cicero ad Atticum, dicens : *Præterea sunt quædam domestica, quæ literis non committam.* Hic item ad Brutum sic ait: *Non soleo, mi Brute (quod tibi notum esse arbitror) temere affirmare de altero. Est enim periculosum propter hominum voluntates, multiplicesque naturas. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum*, & quæ sequuntur. Hanc item partem Longolius tam belle est imitatus, quam quod bellissime. Sic enim ait : *Non soleo temere quicquam de altero affirmare, præsertim adolescente; qui qualis futurus sit, præstari non potest. Sed (si quo tamen sum in dignoscendis hominibus, deligendisque amicis judicio) spondeo vobis annum item unum additum patris desiderio, filii studio, alteri multorum annorum lætitiam, alteri sempiternam laudem esse allaturum.* Dii boni quæ apis ex diversis floribus mel suum conficit aut suavius, aut etiam liquidius, quam ex multis Ciceronis particulis orationem suam componit, atque condit Longolius? Tota est periodus [ut vides] ex Ciceronis membris conglutinata, sed ita tamen, ut Longolianum sit corpus aptissime conformatum. Quod vero ad imitationem, una, atque eadem utriusque est propositio, ratio pœne par, dictio certe Latinissima. Cicero enim id periculi in omnibus esse dicebat; Longolius id ipsum ad speciem transtulit a genere; conclusio tota imitationis est. Ille se Clodii animum perspectum, maximeque cognitum habere affirmat; hic autem se paulo dilatans amplius pollicetur, si, quod rogat, impetret, fore scilicet, ut inde pater magnam voluptatem, filius etiam ut sempiternam laudem consequatur. Hoc item Ciceronis membrum est ad Memmium : *Nec dubitat, quin ego a te nutu hoc consequi possim, ita etiam si ædificaturus esses: nunc vero, si audierit, te ædificationem deposuisse, neque tamen me a te impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentiorem putabit.* Longolius autem, cum hoc ipsum ei usu veniret, sua oratione sic suum effecit: *Neque vero,*

quan-

quantum mea caussa velis, Villanovanus ipse dubitat, ut si jam expectatione sua frustretur, non te mihi, sed me sibi defuisse judicaturus sit. Par, atque eadem argumentandi ratio est, sed omnino Ciceronis pertractatio splendidior est, atque vehementior: non ea tamen est Longolii ita frigida, itaque manca, quæ, si sola legatur, non cumulate satisfaciat, si vero etiam cum Cicerone, quæ prorsus contemnatur. Sed partes conferamus utriusque. Sic igitur Cicero: *nec dubitat, quin ego a te nutu hoc consequi possim, ita etiam si ædificaturus esses, copiose, ac vehementer dixit*: paulo pressius, fortasse etiam remissius, hoc modo dixit Longolius. *Neque vero quantum mea caussa velis, Villanovanus ipse dubitat*: ut quatuor iis verbis, *quantum mea caussa velis*, ut melius potuit Longolius id Ciceronis, *quin ego a te nutu hoc consequi possem, ita etiam si ædificaturus esses*, suum effecerit. Magis expressa sunt in Cicerone, ut dicebam, in *nutu*, in eo *etiam si ædificaturus esses*, quibus nihil majus, nihil gravius dici posset, neque tamen, *quantum mea caussa* velis, non magnum est, non grave. Sequitur utriusque conclusio. Ciceronis ea est, *Nunc vero si audierit te ædificationem deposuisse, neque tamen me a te impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentiorem putabit*. Longolii autem hæc est: *Ut si jam expectatione sua frustretur, non te mihi, sed me sibi defuisse judicaturus sit*. Omnino Cicero sui est simillimus, amplus, copiosus, splendidus; Longolius autem paulo pressior, sed qui tamen constet imitando. Vides enim hunc, quod Cicero dixit amplissime: *Nunc vero si audierit, te ædificationem deposuisse, neque tamen me a te impetrasse* &c. satis presse his verbis comprehendisse; *Ut si jam expectatione sua frustretur*; quin etiam [tametsi nimis fortasse videbitur minutum] ubi Cicero cœpit a tribus particulis, *nunc*, *si*, *vero*, sic hic a totidem, *ut*, *si*, *jam*, eum imitatus esse videtur. Postremo concludit Cicero sic, totam accusationem in se derivans, *non te in me illiberalem, sed me in se negligentiorem putabit*. Orationis venustatem, quæ sit in pronominibus, *te*, *me*, *se*, suo quoque nomini adjuncto, nemo non sentit. Id quod non omisit Longolius; qui eandem orationis venustatem in iisdem pronominibus sic persequitur, *non te mihi, sed me sibi defuisse judicaturus sit*. Variavit dicendi modum dicens *mibi*, *sibi*, potius, quam *in me*, *in se*,

sed

sed id neque fecit inepte, neque sine aurium aliqua suavitate. Ubi autem Cicero illiberalitatem Memmii excusat, suæ vero diligentiæ metuit, Longolius unico id verbo, *defuisse*, complexus est. Ecquid autem existimas, cum id membrum, ac quoties scriberet Longolius, illam eam semper adhibuisse diligentiam, ad eum modum orationem suam, quem tu significas, eloquendam? Nam si ita est, malim equidem vel infantissimus esse, quam eo modo vel Ciceronem ipsum scribendo superare. Nam res est non modo infiniti negotii, sed summæ etiam desperationis. Non equidem id dico, Alphonse Princeps, ea tum Longolium ad literam observasse, cum scriberet, quæ nos ad Ciceronis rationem scripta esse facile comprobamus; quod quidem esset vel etiam, quam ipse reris, multo pejus, ac odiosius; sed id asseveranter affirmo, eam scriptionem ex eo usu, quem sibi contraxerat ex assidua Ciceronis lectione, illi ad eum modum in os, atque in calamum venisse facillime; quemadmodum & tibi, & omnibus, cum scribimus, evenire videmus; quibus ad quasque vocis nostræ literas singulas ex universo literarum ordine perquirendas nullus est labor, nullum est studium; quippe quæ sua sponte ex usu, quem in eis, legendo, ac scribendo confecimus, quasi in postremo calamo constitutæ sint, nobis præsto adsunt, atque cadunt cum atramento citissime. Neque item ei, qui in fidibus usum habeat fidelem, semper is nervus, qui ad numerum respondeat, digito prius erit tentandus, atque explorandus, cum canat, sed is ex veteri consuetudine illi quasi in digitos incurrere videtur; quin etiam, aut oculis alio conversis, aut etiam clausis, id continuare non dubitabit. At quid mirum, si ex universo Cicerone Longolius pauca quædam membra sibi delegit, quæ in suam orationem cum mutando, tum imitando commodissime transferret? Ita enim illi accidit in isto suo artificio, quemadmodum pictori, qui artem suam in exprimendis hominibus exercet; qui in iis id egregie præstiterit, qui separatim aliquid adjumenti ad os suum facilius exprimendum habebunt; ut qui nævo aliquo, qui naso, qui ore, qui oculo aut vitiato, aut etiam venusto notati sint; in cæteris autem, qui æquabili natura sint facti, non ita. At totus legatur Longolius; casu ejus volumen aperiatur; nisi totus est suis simillimus in hac scribendi ratione; hoc est,

 qui

qui a Ciceronis imitatione nusquam discedit; qui pene verbum nullum protulit, nullum membrum adstruxit, quod aut a Cicerone non sumpserit, aut ad ejus structuram non bellissime construxerit, nihil caussæ dico, quin omnium ineptissimus sim. Age vero sumatur ex eodem Longolio, quam casus obtulerit, ex ejus voluminibus epistola: deligatur autem ex universo Erasmo [quando is Ciceronianum suum in Longolii calumniam confabricavit] quæ optime scripta sit, quæ germane germana non sit, conferatur; Latini adhibeantur disceptatores; peream ego male, ni Romæ Longolius & natus esse, & altus, ille autem nunquam Latinum Auctorem legisse judicabitur. Neque id eo nomine dico, quod ille insulse irridere solet, quod & P. C. & S. P. Q. R. ut Romane loqui videatur, Longolius crebro usurpet; sed quod iis vocibus, eorumque structura, atque compositione in sua oratione, quæ Romanam orationem vere redoleant, utitur aptissime. Sed jam vela contrahamus, ac tandem ad locutionem nostram redeamus. Quoniam igitur tanta locutionis vis est, & auctoritas, ut, quod alienum est, nostrum id maxime efficiat; huic uni in primis operam dandam esse præcipio; atque sic in ea versandum, ut nihil illa promptius, nihil magis præsto nobis esse possit. Ac quoniam in ea locutione hoc tanti studii ponendum est, quæ non solum sua certa ratione constet, sed quæ una excellat, quæque in oratione principatum obtineat, quæ si propria, nitida, & pura sit; si translata, orationem maxime illustret, impleat; quæque ample, quæ cumulate sui nobis copiam faciat, cui denique nihil desit ad omnia orationis ornamenta: hanc aut ab uno Cicerone, aut a nemine alio petendam esse, jam sæpius dico, atque præcipio: in quo procul dubio hujus omnes virtutes cumulatissime extant, atque adeo præstant. Nam & in hoc gravi omnia orationis ornamenta assidue legendo facillime imbiberis. Si vero se demissius agat, ut timide, ut verecunde, ut parce ista ipsa attingat, pari addisces ratione. In mediocri autem cum versabitur, ac quasi ille facit, qui non in Oceano omnibus ventis latissime vela pandat, neque lintrem in placidissimo flumine contis impellat, sed qui non longe a litore modo remis, modo velis navigationem suam exerceat, neque elate nimis, neque demissius, quam satis sit, in orationis mediocritate sese continere videbis. Cum ve-

ro celeritate opus est, hujus oratio fluit, nulla mora, interpunctis, intervallis, nullis vinculis impedita convolvitur. Contra vero si in ea sensim consistendum est, tum & interpunctis, & moris, & intervallis, & suis interspirationibus omnibus conquiescit. Si vero caussa lenitatem, atque æquabilitatem orationis postulet, tum & puro quasi quodam, & candido dicendi genere omnem præ se fert orationis suavitatem: sin contra in dicendo retinenda erit severitas, gravitate cæteros omnes facile superat. In hoc igitur uno se se meus imitator ut contineat, volo; in hoc sit totus, in hoc habitet, hunc verset, legat, relegat; multa hujus denique ad verbum memoriæ mandet; quam etiam plurima possit, notet, atque observet fidelissime. Quoniam vero hæc pueris [si fieri possit] cum lacte ipso imbibenda est, ut illis expeditior, ac promptior adsit, quæque una cum iis & nata, & alta videri possit, hoc quoque in loco hanc mihi quoque curam duxi minime esse contemnendam, ut his etiam benigne providerem. His igitur continuo eum magistrum adhibendum esse volo, qui hujusce facultatis virtutes omnes optime calleat, atque in iis utendis sit exercitatus maxime. Sed ne mihi nimium sumere videar, qui magistros instituere velim, ego nunc de me agam ipso, id, inquam, quod ego facere soleo, atque adeo tecum feci, & mox cum Fratre tuo Aloysio facturus sum, in medium proferam: utrum id recte, bonorum erit judicium. Ego igitur cum paucos mihi jampridem delegerim Auctores, ad quorum locutionem meam ipse dictionem conformarem, duos ex iis præcipue cum meis pueris in manibus habere soleo, Terentium, & Ciceronem. Nam ut puer meus prima rudimenta ponere cœperit, tum nobis Terentius sumitur. Ex hoc primo illi aliquot dies binos, aut ternos versus, qua mihi in parte ad ejus ingenium accommodatius esse arbitror, explicare incipio: qua in re multum ejus studium fabulæ, quibus pueri maxime capiuntur, juvant oblectamenta; qua plerique quoque ratione ducti ad Ovidii fabulas suos magis informare student, neque vident inepti [ut cætera, quæ sine stomacho percurrere non possum, istis condonem] hanc esse canendi, non loquendi rationem, in quo nullus sit verborum delectus, nulla ad solutam orationem accommodata locutio. Naturam equidem optimam ducem sequi malo. Itaque meum ipse discipulum

prius loqui, atque ingredi, quam canere, atque saltare instituo: nec longius eo mihi res, quo dicebam, producitur instituto. Mox enim Terentio aliquid etiam ex Cicerone adjungitur ex eis, quæ mihi in eo facillima, quæque ad pueri captum videbuntur accommodatiora: ut sunt ad Terentiam uxorem quædam familiariter, item ad Tyronem ea ratione, atque facilitate conscriptæ epistolæ. In quorum utroque locutionem in primis observamus diligentius, non admodum inter se dissimilem, nisi quod Terentii magis popularis [ut pauca quædam vetusta omittam] ac quotidiani est sermonis, quæque in eo genere cum ad provocandum, tum etiam lacessito ad respondendum magis arguta, ac paratior videtur. Ad hanc æque jam tum meum Discipulum instituo, hanc unam eum doceo, in hanc unam totus incumbo; neque id solum in ea, quam præsens attulerit pars, sed, si quæ alio etiam modo alibi aut ab istis ipsis, aut a quopiam alio ex nostro grege prolata sit, eam dedita opera cum præsenti conferimus parte: quam ipsam locutionis multiplicem copiam ut in suos codicillos describat, sedulo commonstro: ad cujus etiam rationem ut mihi ex tempore respondeat, paulatim instituo. Ut vero paulo liberius cum eo agere mihi licere, ac quasi a remis ad vela navigationem nostram transferre posse sentio; paulum Terentium sepono: non quod hunc unquam quicquam contemnam [nam semper in eo est, quod in usum meum commode sumere possim] sed ut ad securius, atque splendidius loquendi genus meum Discipulum traducam; me totum uni Ciceroni do, atque addico; in hunc unum studiosius incumbo; in hoc hæreo; huic uni pęne omnem operam do. Id autem hoc modo. Sumo mihi partem aliquam ex eo, quæ magis libeat; eam illi in nostrum sermonem dicto, quam mihi Latinam ut faciat, jubeo. Paret, refert, corrigitur. Quo sedulo perfecto, Ciceronis locum affero integrum, confero; Discipulum, quæ ejus sunt, doceo; quæ communia cum Cicerone, hortor, hem, sic reliqua. Ubi is sit paulo pressior, contra Cicero ornatior, uberior, admoneo; ut monitus alias meminerit, suadeo: qui sonus ex suorum verborum aspero concursu nascatur; qui ex Ciceronis structura nobis concinnius moduletur, ut sentiat, curo diligenter. Contra vero, quando item indiligens diligentia minime ingrata sit,

sit, ac vocalium hiatus molle quod habeat, atque asperum, quod, etiamsi aurium judicio respuatur, non tamen inepti, & parum consulti hominis esse, commonstro. Postremo cum longo nimis verborum anfractu orationem suam determinet, ut eam intra moderati spiritus conclusos terminos contineat; tum si contra eam angustet nimis, quoad laxanda sit, sedulo commonefacio. Non soleo ego [ne hoc quoque dissimulem] meum Discipulum cogere, ut fit plerumque in scholis, quicquid ei dicendum usu veniat, Latine ut id proferre conetur. Utrum enim plus commodi, an damni ad Latinam elegantiam, quam nos quærimus, hoc afferat studium, non plane satis habeo compertum. Equidem si meo Discipulo cum iis versandum sit, qui tantum eo modo egregie, atque splendide loquantur, in eam consuetudinem eum inducerem omnino. Id enim fieret, quod nos in nostra lingua, & Romani in hac ipsa sua Latina faciebant, ut nulla difficultate, multa etiam cum dignitate, quicquid postea vellet, commode loqueretur: sed, cum hic a libris discessit, aut etiam a magistro suo, alio locutionis suæ rationem referre cogitur; domi, in viis, cum familiaribus, ruri, in Urbe, alio etiam modo loquendum est. Huc accedit, quod infanti puero, dum ea, quæ vult, ex tempore, atque subito proferre laborat, multis partibus ea plura excidant, quæ barbare, quæ inepte, quæ incondite, atque incomposite, quæ denique nullius dignitatis sint, quam quæ vix tolerabilia sint, necesse est. Ita fit, ut dum locutionis studeant celeritati, orationis ornatum omnem, atque dignitatem corrumpant. Quoniam autem quod in quotidiano sermone positum est, nihil admodum Latinæ orationi prodesse videtur ad eam dignitatem, quæ ejus linguæ mere germana est, ac omnino ea nobis aliqua exercitatione, atque artificio comparanda, atque confirmanda est: equidem id diligentiæ ab uno stylo, qui dicendi magister, & opifex est optimus, petendum esse censeo. Ad hunc igitur eo modo, quo est dictum a nobis paulo superius, exercendus est puer. Cum vero is in eo tantum profecerit, ac jam [quod ajunt] sine cortice natare didicerit, tum denique in eo se contineat, in eo dies, & noctes studiose versetur: scribat, rescribat, deleat, reponat; libros, volumina conficiat: materia nulli deesse potest, quam sumat ad

ſcribendum. Quotidie adſunt res novæ, amplæ, privatæ, publicæ: quæque ætas ſemper aliquid ſecum affert, quod poſteris memoriæ mandetur. Sed fac ut vera deſint omnia; nihil agant homines; ceſſent bella; ſtudia omnia conticeſcant: nunquam illi deeſſe poterit, quæ ſuo arbitratu ſibi effingat, atque componat. Sed quicquid ille aut verum, aut a ſe confictum ſcribendo perſequi volet, id unum primum, & poſtremum ei præcipimus, ut optimum ſemper Auctorem ſibi habeat egregie propoſitum, ad cujus omnem ſcribendi rationem ſuam & ipſe totam dirigat, atque conformet orationem. Habes, Alphonſe Princeps, quid ego de imitatione ſentiam, ac quibus ea præceptis a me tradi potuerit: opus mihi quidem & multarum vigiliarum, & ſummi laboris plenum; quod ſi tibi gratum erit, hoc eſt, ſi ſcriptionem tuam ad ejus rationem inſtitues, & me mei ſuſcepti ſtudii minime pœnitebit; & ipſe, ſummam in ſcribendo facilitatem te conſecutum eſſe, mirum in modum lætabere.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

De evitanda, atque compescenda

IRACUNDIA,

AD JULIUM COCHIUM

Suum Discipulum Libellus.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Alphonso Mustio S. D.

Libellum de evitanda, atque compescenda iracundia ei inscribens id eo animo a se fieri significat, non quod ejus præceptis quicquam indigeat, sed ut eum imitetur, qui speculum formosissimæ feminæ mittit, in quo pulchritudinem suam conspiciens magis lætetur, quam ut quicquam parum compositum corrigat.

S*Cribebam, Musti, ad Julium Cochium meum Discipulum de cohibenda, atque evitanda iracundia, ut quem a puero eo vitio maxime laborantem noram; quem Libellum cum nunc edere vellem, si quid etiam fortasse quempiam alium in eo juvare possem, ut is sub tuo nomine exiret, statui; non ut ipse quicquam ejus præceptis indigeres, quem nunquam multis, iisque etiam non levioribus injuriis lacessitum, hac animi perturbatione commotum sensi; sed feci tamen, ut qui speculum formosissimæ Fœminæ mitteret, in quo*

oris ſui pulchritudinem magis conſpiciens lætaretur, quam ut quicquam in eo parum compoſitum emendaret. Quam animi erga te mei ſignificationem, ut eo animo accipias, quo cætera accipere ſoles, hoc eſt, quo me plurimum amas, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

III. Non. Octob. MDLXI.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

De evitanda, atque compeſcenda Iracundia

AD JULIUM COCHIUM

Suum Diſcipulum Libellus.

DUo ſunt, Juli, quibus natura hominem cæteris animantibus præſtare voluit, ratio, & oratio. Nam, quantum in horum utroque & utilitatis, & dignitatis poſitum ſit, qui non videt, is omnino ex iis eſt animalibus, quibus hominem præſtare dicebam. Quid enim, quæſo, in ratione aut prudentis, aut fortis, aut juſti, aut moderati animi ineſſe non poteſt? Hac ventura multo ante, quam veniant, perſpicimus; hac ſecunda, atque adverſa æquo animo perferimus; hac, quod ſuum eſt, cuique recte datur; hac denique moderatiores ſumus ad quicquid fiat agendum. Cui vero hæ defuerint, illi contra omnia; nullum conſilium; omnia iniqua; omnis animorum abjectio; nullus denique certus modus, atque conſtitutio adhibebitur. Quippe qui in hujus locum ut appetitus ingruat, neceſſe eſt, quo uno imperante, quicquid in nobis hominis eſt, prorſus aufertur; quod alienum eſt, relinquitur. Oratio vero, quantum ad hominis perfectionem conferat, quantumque ejus dignitatem adjuvet, atque adaugeat, ex iis hominibus, qui hac carent, quique contra hac plurimum valent, facile intelligi poteſt, quando illi prope ad nullum hominum uſum nati eſſe; hi vero inter cæteros homines principatum obtinere videantur. Ratio quidem in nobis ipſis dominatur; oratio vero in aliis, iiſque etiam interdum, qui nobis graviſſime ſint infenſi, idem poſſidet imperii. Quæ duo hominum bona tam egregia, tamquam optabilia, atque ad veram vitam agendam maxime neceſſaria, qui habebit, hic ſibi a Diis immortalibus optime conſultum eſſe ſciat; ſed longe ipſe ſibi melius conſuluerit, ſi ea diligenter cuſtodiverit, atque eam curam adhibebit, ut nullo tempore horum quicquam ſibi aut auferri, aut conturbari

bari possit omnino. Quoniam autem res utraque unam iracundiam gravissimam habet adversariam, quando hujus morbi tanta vis est, tantusque impetus, ut cum hominem invadit, ita eum ex omni mente deturbat, atque omni oratione spoliat, ut per illud tempus magis furentem, ac mugientem belluam, quam hominem imitetur; ab hac nova Circe omni consilio, omni diligentia, omni denique conatu nobis est magnopere cavendum; qua una animi teterrima peste, quando etiam nunc, cum puer es, te gravius interdum laborare video, estque sapientis Medici continuo nascentibus morbis remedia adhibere, neque expectare, dum ii graviores fiant, quique sanari non possint; ea ratione de isto animi impetu separatim ad te aliquid scribere statui; si possem & meo consilio, & istius monstri odio, ante, quam morbus ingravesceret magis, eam tibi medicinam afferre, qua si non funditus eam sustulissem, saltem maxima ex parte levassem. Sed jam institutum nostrum aggrediamur, ac, quæ isti morbo remedia sint adhibenda, ex proposito nostro videamus.

Duplex igitur iræ genus est; alterum, quod cum virtute conjungitur; alterum, quod totum in vitio est positum. Quod virtutis est particeps, ejus generis est, ut parentum in filiorum erratis accusandis; ut in bonis Viris a nefariis latronibus oppressis aut videndis, aut defendendis; ut item in Oratore in reorum criminibus acriter detestandis; ut in iis, qui pro libertate in Tyrannum, & in cæteris ejus generis, qui virtutis caussa in impios, ac sceleratos homines honeste commoventur; quam animi æquissimam commotionem ille significabat, cum diceret: *Irascimini, sed nolite peccare*; quaque ille etiam aliquando commoveri est visus, cum ex Templo, hoc est, Patris sui domo, quæ Orationi constructa erat, ementes, atque vendentes verberibus ejiciebat. Nihil enim admittitur, cum aliorum sceleri succensemus, atque eos aut corrigimus, aut etiam aliquo supplicio afficimus; de quo iræ genere nobis hoc loco nihil amplius est dicendum. De ea vero iracundia, quæ vitiosa est, totus hic reliquus sermo est futurus. Hæc item duplex est; altera, quæ statim totum hominis animum occupat; altera, quæ, ut res cæteræ, sensim crescit; illi, ne accidat; huic, ne in furorem hominem rapiat, providendum est. Sed ante, quam ad hanc tractationem veniam, placuit re-

referre, quæ prudentissimi Viri de hac ipsa animi perturbatione sensere, quo breviter perfecto, ad nostrum institutum revertemur. Continuo igitur isti duo faciunt; Iram alterum; Iracundiam alterum. Iram vero animi perturbationem esse dicunt, quæ quibus de caussis, quibus hominibus decet, ac quemadmodum, quomodo, ac quandiu decet, noscitur; quæ ab ea, quam supra cum virtute conjunximus, parum distare videtur, quando eum hominem, qui hac animi commotione afficeretur, Virum fortem, qui non, lapidem appellent; Iracundiam vero eam esse dicunt, quæ hisce nullis terminis contenta longius effertur, hominemque in furorem inducit; quam ita efferre videntur, ut cum fortitudine eam conjungere non dubitent, cujus cotem etiam appellant. Id quod re ipsa facile cerni dicunt, ut in gladiatoribus, qui usque eo languido, ac molli brachio pugnant, quoad unius iræ absuerit impulsus; ubi vero eam conceperint, nihil non strenue, nihil non fortiter gerunt. Pari item ratione in Oratore fieri contendunt; ut qui hac nihil affectus sit, sedate, ac remisse agat; ubi vero incaluerit, fulminare videatur. Quorum sententia mihi nullo modo comprobatur. Nam si fortiorem gladiatorem furore actum, quam, qui sedate agit, esse volunt, continuo illum prudentia, quæ quasi fortitudinis mater est, spoliant. Tunc enim non solum omne consilium, quod sæpius in arena capiendum est, prorsus auferunt, sed ut in sedati hostis ferrum impudenter irruens, eo se ipse induat, efficiunt. Oratori vero eorum cognitionem, quæ caussæ suæ profuerint, adversarii vero obfuerint, quando etiam ne verbo quidem caussæ noceatur, ut videat, recte præcipitur, prorsus abstulerint. In quam gravem animi commotionem cum C. Gracchus vehemens Orator natura magis, quam caussæ impulsu sæpius incurreret, ac ardentius, quam res postularet, ad Judices ageret, servum a tergo positum habebat, a quo ad moderatum fistulæ signum datum ad sedatius agendum revocaretur, atque in hac honesta ira contineretur; ut hic perinde, atque ille faciat, qui in lapsu sit, qui aliquid manu apprehendens, ne labatur, se sustinet. Sane quidem irati, quam sedati fortior, atque vehementior est actio: virtus autem neque ullo modo augetur, neque minuitur. Nam si ita sit, iracundia, quæ tota in vitio est, quia ex medio excedit,

fit-

fitque extremum alterum, fortitudinem [ut de Oratore nihil amplius dicam] acuat, atque adjuvet omnino, næ omnis virtutis vis, & ratio sublata est. Nam ea quoque ratione sequetur, ut mercedis spem nobis propositam, liberalitatis cotem esse dicamus. Ut enim ad istorum rationem fortitudo una iracundia excitatur, ac magis acuitur ad fortius agendum; sic dandi ratio, spe illa commodi alicujus recipiendi sibi proposita, promptior, ac paratior fiet ad largiendum. Quod quam ex virtute fiat, non admodum multis opus est probare. Siquidem quamdiu quis libere, ac gratis dat, tamdiu cum virtute agit; ut vero specula ulla injecta ad benigne faciendum ducitur, continuo benignitas esse desinit, fitque mercatura. Sic de fortitudine dicendum est, quæ quamdiu per se sola nititur, ac suopte tantum agit impulsu, tamdiu virtus est; ut vero iracundiæ vis accesserit, tum in vitium transit, nihil virtutis retinens. Pari ratione timori accidit cum prudentia; ita avaritiæ cum temperantia. Sic enim se metus ad prudentiam; avaritia ad temperantiam habent, quemadmodum iracundia ad fortitudinem se se habet. Illa videtur fortitudinem adaugere; metus autem in prudentia; avaritia in temperantia idem efficere videntur. Quod tam longe abest, ut ita sit, ut etiam nihil eis tam adversetur. Siquidem in avaritia nihil non detestabile; in metu nihil considerati, nihil non abjecti, ac vilis esse possit. Præterea vero, quæ virtutis extrema sunt, numquam se sic in medium insinuabunt, ut cum eo quicquam conveniant, nedum illi ulla in re adsint, aut quicquam opitulentur. Metus autem, & temeritas fortitudinis extrema sunt; horum neutrum umquam cum virtute commisceri poterit; ita neque iracundia, ex qua plerumque temeritas exoriri solet, recte umquam cum fortitudine copulabitur. Deinde vero si virtus ea est, quæ nihil extrinsecus desideret ad suam perfectionem, quæque sua sponte, atque suapte natura suum officium cumulatissime præstet, totaque in se una apta sit, nihil aliunde pendens, quid huic alienæ opis sit opus, non video; multo vero ejus, quæ maxime adversetur, minus. Fortissime quidem fecit Regulus, cum sciens, ac volens ad infensissimos hostes, atque in certissimos cruciatus rediit; minime, si cujuspiam hortatu; multo vero minus, si aliqua iracundia pulsus

ſus rediiſſet. Poſtremo vero ſi pro virtute ſit iracundia, quando hanc, ut dictum eſt, viros efficere contendunt, numquam illos homines, qui illam ſuperant, quique fortiter compeſcunt, tanti Scriptores omnes feciſſent, quos etiam cum Diis conferre non dubitant; neque contra qui iracunde faciunt, eos inique facere conſtantiſſime deteſtarentur, ac maledictis omnibus acriter inſequerentur. At id quidem efficit iracundia, ut in ea periculum non cernatur, atque ea ratione metus, qui fortitudini maxime adverſatur, ex eorum animis violentius auferatur, qui iracundia animum commotiorem habeant; quo uno dato, ut fortiores ſint irati, neceſſario ſequitur. Hoc autem tantum abeſt, ut probetur, ut maxime ridiculum ſit, quaſi omnis privatio metus fortitudinem efficiat, aut, uno dempto ex hominum animis timore, continuo ii Horatii, Fabii, Marcelli, Scipiones fiant. Nam ſi ita ſit, vino, ac deſperatione [ut nunc de cæteris animi perturbationibus, in quibus homines omnia pericula facillime contemnunt] fortitudo maxime comparabitur. Siquidem homines in vinolentia, atque ebrietate nihil timent; omnia pericula æque, atque res tutas, adeunt ſecuriſſime. In deſperatione vero ita vires interdum adaugentur, ut quam ratione ſalutem tutari non poterant, eam etiam ad victoriam, atque ad glorioſum triumphum traducant; ut his, & multis aliis, quibus brevitatis cauſſa ſuperſedeo, validiſſimis rationibus ira tantum, non autem iracundia ad Ariſtotelis diviſionem cum virtute conjungi poſſit. Sed jam ad inſtitutum noſtrum redeundum eſt. Quoniam igitur illa in periculo eſt, ne augeatur; hæc vero cum ad ſummum aucta eſt, in furorem hominem impellit, utrique æque conſulendum eſt. Primum autem ne iraſcamur; deinde cum id omnino vitare nequiverimus, ut ei moderemur, neve furentes fiamus; in quorum altero ſanos, qui de medicorum conſilio, ne in morbum incidant, probe curant; in altero ægrotantes, qui ut omnino in morbum inciderint, ne is gravior fiat, atque, ut levius feratur, omnem medicinam adhibent, prudenter imitabimur. Ut igitur in hac, qua ſumus, animi tranquillitate perſtemus, his remediis aſſequemur, ſi omnes iræ, unde oriri ſolent, cauſſas prudenter obſtructas habebimus; ut, qui agro ſuo amnis irruptionem timet, aut altioribus illum aggeribus communit,

munit, aut certis obicibus alio fluminis impetum avertit. Fontes autem, unde ista animi perturbatio emanet, plures sunt, sed unus is est præcipuus, injuria. Siquidem ita ira definitur, ut sit libido animi ejus puniendi, qui læsisse videatur injuria. Hac igitur una offensa devitata, omnem iræ motum devitaveris. In primis autem nulla injuria existimanda est, cujus culpam ipsi præstiterimus. Siquidem ea nulla injuria habenda est, quæ nostro merito nobis infertur. Ergo, si non injuria, neque dolenda, neque digna, ut inferenti succenseamus; si vero præter omnem nostram culpam evenerit, magis id solatium, quam injuria appellanda est, quando eam recta conscientia, non autem ex inferentis ratione dimetiri debemus. Ut Scipio, qui ab ea Republica, cujus Imperio tertiam Orbis partem subjecerat, in exilium missus est, in quo ita se gessit, ut si princeps Senatus in Urbe mansisset, lætius non egisset, quia eam injuriam nihil de sua gloria sibi detrahere sentiebat, ut quam iniquissimam sua conscientia pendebat; imo vero ex qua non minus gloriosum triumphum, quam ex devicta Africa duxisse judicatus est. Certe ex hac gloria nullus huic Centurio, nullus miles, nullus exercitus, nulla locorum melior ratio, nulla denique fortuna quicquam decerpsit. Totam eam sibi integram habuit, ac quamdiu literæ vigebunt, tamdiu illa perfruetur; quia Vir prudentissimus nihil adversi sibi accidisse putabat, neque virtutem ex meritis, sed ex ejus sola dignitate compensabat, in una sua conscientia, quam optime se præstitisse sciebat, læte conquiescens. Contra vero Coriolanus, qui pari ratione a suis Civibus affectus, adversus eos arma sumit, obsidione cingit, Legatos ad se de pace missos nihil audit. Tantum enim injuria in animi radicibus inhæserat, ut nisi una vindicta evelli posset. Ita Salinator iniquam suam damnationem se vindicaturum minatus est, cum Fabio respondit, se aut de hoste victo gloriam, aut de suis Civibus superatis gaudium esse reportaturum; qui si, ut Scipio innocentiam suam iracundiæ objecissent, multo rectius ab omnibus sæculis audissent. Quare utroque modo nobis nihil dolendum est. In altero enim magis culpam nostram accusare, quam damnum inferenti irasci debemus; in altero lætari, quod omni ejus damni culpa vaca-

ca-

camus. Sed quoniam non agitur cum perfectis hominibus, qui cum nullam culpam ad injuriam accipiendam attulerint, ea ratione illatam non sentiant; aut si attulerint, eam sibi ipsi acceptam referant; istis maxime providendum erit, qui secus omnia imprudenter accipiunt. Injuriæ igitur, unde homines potissimum irascuntur, tria sunt genera; unum, quod damnum; alterum, quod dedecus, atque infamiam; tertium, quod utrumque affert. Hæc autem aut ab homine, aut a fortuna, ac casu homini maxime infertur. Qui igitur hac animi commotione carere voluerit [omnes enim velle debebunt] omnia prudenter cavebit, atque tamquam ex alta specula animo collustrans, quæ ingruentia mala viderit, ut melius poterit, declinabit. In conjugio multæ caussæ sunt, quamobrem homines excandescant. Qui hujus rabiei expers esse voluerit, is uxorem ne duxerit, cœlibem vitam vixerit. Vulgo tritum est, *quot servi, tot hostes*; qui servorum perfidiam ferre nequiverit, is sibi adsit, sua sola opera utatur. In ludendo pecuniæ amissio graviter hominem commovet; qui hanc iram vitare cupiat; is a ludo se se abstineat. Qui per tenebras iter faciat, ne, si uspiam offenderit, irascatur, aut diei lucem expectabit, aut cereum sibi prælucere jubebit. Si Menelaus vidisset Helenam uxorem suam sua pulchritudine non solum animos hominum rapere, sed se illis quoque quasi rapiendam offerre, non ejus Paridi tantam copiam fecisset, neque tota Græcia postea in tot miserrimos decennali illo bello luctus incidisset. Prudentius fecit Julius Cæsar, cum suæ ob solam criminis suspicionem repudium misit, ne, queties ejus facti in mentem venisset, toties in eam acrius incenderetur. Coti Thracum Regi fictilia vasa, atque egregie facta dono missa fuerant. Hæc Rex; ut satis eorum opus contemplatus est, atque ut Rege dignissimum laudavit, magnaque pecunia illi, qui ea sibi attulerat, dinumerata; sua manu in terram projiciens minutatim contrivit. Interrogatus, quamobrem id fecisset, prudenter, atque argute respondit; ne gravius in eos sæviret, qui postea suo malo fato illa confregissent. Quod Pollio non vidit, qui puerum ob vasa item pretiosa contrita jussit murænis in Piscinam vivum demitti, nisi Augustus illi præsto affuisset, qui non solum illum incolumen servavit, sed Piscinam etiam compleri jussit.

jussit. Pari prudentia Antiochus sophista se purgavit. Nam cum a suis accusaretur, quod ad Remp. non accederet: non me ille, inquit, Reip. onus, sed mea natura ab ea gubernanda deterruit; iram suam significans, in qua se omnium maxime pronum esse sciebat; quare hoc quoque modo publicas ejus occasiones devitavit. Legerat enim apud Platonem, qui iracundiori essent ingenio, eos quidem ad disciplinas percipiendas maxime aptos esse, ad Remp. autem gubernandam minime. Si uxor noverit [quando soboli omnino legitima danda est opera,] se viro suo inferiorem esse, nullam caussam habebit, quamobrem cum eo litiget; contra vero si eam ille ut alteram sui partem tractabit, sine rixa vitam aget. Hæc vero, & horum cætera similia, iis dicta sunt, qui ne in iram incidant, providere debent. Restat modo, ut secundo in loco ea præcepta demus, quibus, cum in iram inciderint, ira tantum maneat, furor devitetur. Cum igitur iræ vis omnes rationis nostræ aggeres superarit, atque mentem nostram occuparit, in primis id videndum erit, ne hæc in iracundiam transeat. Est enim ira, quoad intra suos certos terminos continetur; cum vero ex iis excedit, fit iracundia, quæ nihil a furore distat. Nam cum ita animo affecti sumus, ut rebus inique adversis commoveamur, hactenus hominis est; ut vero in furorem animus raptim fertur, tum a feris homo nihil distare videtur. Sævit enim in puniendo; in ulciscendo vero nullum adhibet modum. Hunc igitur furorem, hanc animi abalienationem devitabimus, si hic animi motus iræ terminis continebitur; hoc est, si, quantum decuerit, tantum irascamur. Quam [ut ita dicam] decentiam, modo ad caussæ, modo ad personarum, modo ad temporis, atque loci rationem retinebimus. Quemadmodum si quis in levi caussa leviter commoveatur, neque sinat, ut primus ille motus se se amplius augeat: ut Cato, qui a bajulo eo onere, quem ferebat, in alterum humerum percussus, cum ab eo post ictum imprudenter admoneretur, ut caveret, quasi per jocum ei respondit: numquid aliud fers? Alius ad convitia, ad minas, atque etiam ad manus venisset: ut Alexander, qui Clitum amicissimum suum quam levissima de caussa sua manu interfecit. Qua ratione neque fœminis, neque senioribus, neque egenis acerbius irascemur: quod Hora-

ra-

ratium Trigeminum fugit, qui si iram suam in sororem & fœminam motam esse sensisset, eamque Sponsi sui mortem lamentari animadvertisset, numquam ejus sanguine manus suas, atque adeo Penates Deos tam impie conscelerasset. In pueros vero, atque in seniores nulla iracundia non vituperatur. Utrique enim ad injuriam inferendam impotentes sunt. Egenum vero quis potius non commiserescat, quam ut in eum desæviat? Ut vero infimæ, atque impotentis conditionis hominibus vix æque irascimur; ita potentioribus nihilo æquius succensebimus, quia cum illis humane agere, his autem cedere debemus. Parentes vero, & filii, si qua inter eos iracundia aliquando intercesserit, si, quam uterque utrique teneatur, considerabunt, non solum ne illa ad insaniam non perducatur, sed ut ad nihilum magis redigatur, curabunt. Illi enim in filiorum vel maximis injuriis mitiores; hi vero Parentibus in omnibus obtemperatiores esse debent. Id quoque ad hanc animi gravissimam commotionem devitandam maxime opportunum erit, si animadvertatur, utrum injuria dedita opera, an per imprudenriam nobis illata sit. Nam cum alieno vulnere percussi sumus, quid tam indignum, quam illi irasci, qui nullo animo nobis eam injuriam fecerit? Nam, quemadmodum eos, qui imprudenter nobis profuere, amare non tenemur; sic iis inique irascemur, qui coacti, atque per imprudentiam nobis damnum intulerint. Quoniam vero stulti in eo sunt hominum genere; qui imprudenter injuriam faciunt, his quoque ignoscendum est. Nam qui in se ipsi injurii sunt, quod præcipuum est stulrorum, qui accusari possunt, si in alios sua stultitia invehuntur? Cum stulto iratus quoque conjungi potest, nisi quod ille semper imprudenter agit; hic vero interdum etiam furiose; ut qui in hoc hominum genus iracundia commoveatur, parum ille hominis habere videatur. Si vero illud, quod nos mordeat, joco sit aut dictum, aut factum, nihil turpius, quam id non risu quoque accipere. Quid enim feremus, si ridicula injuriæ loco accipimus? Alexander usque eo arguta dicta pertulit, ut piratæ in se acerbius jocanti cum vita ipsa ingentia etiam munera condonarit. Ferunt enim cum eum cepisset, atque capitis damnasset, hoc illum dicto contra Regem verberasse. Ego, Alexander, quia parvarum na-
 vium

vium pirata sum, mortis reus fio; tu vero, quia Urbes, & Provincias furaris, Regnaque legitimis Regibus eripis, Rex ab omnibus excoleris. Sensit jocum Alexander, atque illi ignovit. Pompejus Magnus neque hujusce jocosæ injuriæ expers fuit. Quærenti enim a Cicerone in dissensione illa Civili, ubi Dolabella ejus gener esset? argute inquit: cum tuo Socero; par pari referens. Quærenti item Augusto de quodam adolescente peregrino, sui quam simillimo, numquid ejus mater umquam Romæ fuisset? numquam, respondit; sed pater sæpe. Retorsit dictum adolescens, quod Augustus ridens accepit. Philippus autem non solum insulsum, sed etiam immaniter in se dictum placidissime tulit. Nam cum Atheniensium Legatos domum remitteret, atque omnia illis, ut fit, polliceretur; neque se quicquam habere diceret, quod non eorum Reip. caussa vellet: tum unus ex iis magis impudenter, quam jocose. Si ita est, inquit, tu funem cape, atque te, quod ea maxime cupit, suspende. Acrem hanc maledicentiam Philippus ita amice accepit, ut suis committeret, ut eum domum usque comitarentur, ne in reditu ob istam ejus insolentiam in itinere a suis interficeretur. Si vero qui nos aliquo damno affecerit, majora in nos alias beneficia contulerit, huic non irasci, aut saltem leviter irasci debemus. Majoris enim beneficii ratione minoris injuriæ damnum compensare debemus. In primis autem in sedanda iracundia conducere videtur, si iratus, ante quam ad ultionem veniat, vel pusillam aliquam moram interposuerit. Quare etiam non defuere, qui arbitrati sint, Romanos secures suas ea ratione fascibus alligatas habuisse, ut irato Magistratui saltem ad tantulum moræ ad sedatius in reum agendum daretur, quantum spatii esset ad fasces dissolvendos; quod sanctissimum præceptum Athenodorus Augusti Magister, cum ab eo in summa sua senectute domum volens remitteretur, postremo, sed non postremum illi præceptum reliquit, ut in ira prius, quam illi quicquam obtemperaret, secum animo Græcas literas percurreret. Sperabat enim optimus Philosophus non parum irato profuturum, ne quid severius ageret, si ad supplicium id tantulum moræ interponeret. Certe, ut subita ira est, citoque animus illa incalescit, ita etiam non diu in ea commorari videtur. Natura enim comparatum est, ut, quod brevi crescat, brevi etiam concidat,

dat, atque intereat, neque ſit diu duraturum, quod ſubito emerſerit. Qui igitur aliquod ſpatium inter ulciſcendum poſuerit, is multo æquiori vindicta inimicum affecerit: quam ſententiam Antiochus ſequutus eſt, qui villico ſuo iratior factus, his verbis illum caſtigavit. Quo te modo, inquiens, accepiſſem, niſi iratus eſſem? Lingua, & manus duo ſunt quaſi iræ inſtrumenta. Lingua nulli verbo parcit, in amicos, in propinquos, in Deos etiam ipſos acerbe invehitur; manus autem in quos poteſt, vires ſuas exercet. Non enim ita manus, ut linguæ, liberum eſt opus. Qui igitur iratus horum utrumque cohibebit, is ſe ſciat magnum opus egiſſe. Plerumque enim non ſolum quæ vera inferentis injuriam crimina, atque turpia novit, ſed quicquid etiam in buccam, modo horridum, modo criminoſum ſit, in eum eructat, atque evomit lingua. Quid autem gladio faceret, ſi ita illo libere uti poſſet, nihil attinet dicere. Sed ut, vi adhibita, manus corrigitur; ita ſilentio lingua erit communienda. In ira igitur ſapiens ſe colliget, atque ſolus habitabit, ne quemquam habeat, quicum illa furioſe jactitet, ſeque eo magis in iis incendat. Ebrietati ſimilis eſt iracundia. Ebrius enim, quo feratur, neſcit; iracundia percitus furit; vino graviter affectus, omnia æqua, iniqua effutit; ira oppreſſus, vana, ſomnia ingerit; vinolentia homini mentem & pedes eripit; ira mentem, & viſum aufert; ebrietas vultum conturbat; iræ vis impotens pari eum invertit modo. Ut ergo illa ſomno, & quiete pellitur; ſic hæc ſilentio magna ex parte mitigatur. Hæc item extinguitur, vel ſubito injecto metu, vel magno exorto gaudio. Metus enim, ut iratus ſibi magis caveat, quam hoſtem offendat, efficit; gaudium autem iracundiam delinit. Si vero qui injuriam intulerit, ſe peccaſſe, atque ejus ſe ingenue pœniteat, atque demiſſe fateatur, dici non poſſet, quantum ad mitigandam injuriam, atque adeo ignoſcendam, valeat; quemadmodum contra iis gravius ſuccenſemus, qui id ſe admiſiſſe negant, quod manifeſto tenetur; aut, ſi fatentur, in eo ſe exaltant, & jactant inſolentius. Verum quoniam iis crebrius iraſcimur, quibuſcum aſſidue agimus, quam iis, quos raro videmus, familiari iracundiæ nunc ſubveniendum eſt. Uxori ille parum pudenti; ſervo alius inepto, fraudolento, quod ſuccenſeat, ſæpius

I 2 ha-

habebit. Hoc in loco Socratem imitabimur, qui Xantippam uxorem suam in mensæ eversione gallinæ similem esse dixit, neque ulterius excanduit. In servorum autem iracundia præsto nobis adesse poterit eorum crebra commutatio, quando cuique liberum sit, suum nostro more emittere, novum alium illi subinducere. Amici, ac familiares cum his sunt conjungendi, sed non ii tamen amici, qui idem volunt, idemque nolunt, inter quos nulla injuria oriri potest. Sed quibus familiariter utimur in congressibus, atque inter agendum, a quibus cum aliquo modo amicitiam violatam sentimus, ab eorum usu, atque consuetudine sensim nos recipere, atque eam injuriam veteri familiaritati condonare possumus. Qui vero pro vindicta, quæ iracundiæ finis est, de qua etiam infra, clementia in injuriam inferentem utatur, is magis inter Deos, quam inter homines est reponendus, ut C. Julius Cæsar, qui illis, quos vicerat, sæpius ignovit, ut sæpius haberet, in quibus virtutem suam ostenderet; quin etiam periniquo animo tulit, quod nonnulli suam clementiam vel propria morte, eaque sua manu accersita, contempserint. M. autem Marcellus hanc in Nolanum Principem Civem publicam exercuit. Erat enim quo tempore Annibal in Italia bellum adversus Romanos gerebat, Nolæ Bentius Princeps Civis, qui ad Annibalem inclinabat, nihilque propius erat, quam ut aut Nolam hosti proderet, aut ad eum cum nobilissimo, atque potentissimo comitatu transfugeret. Hunc Marcellus ad se accersiri jussit, atque ita cum eo cum suo, tum etiam Reip. nomine egit, ut nemo postea Reip. perpetuo magis fidelis extiterit. Sunt etiam quidam, qui in se admittunt, quare etiam sibi postea succensent; quod qui per imprudentiam faciunt, ut illi satisfecerint, in posterum, ut cautius agant, providebunt; qui vero scientes, ac volentes, horum nulla ratio est habenda. Amatoribus vero, inter quos crebræ nascuntur iræ, ne ad dissidium, atque odium veniant, id subsidio erit, quod amantum iræ sunt amoris redintegratio; qui eo etiam ardentius postea amant, quo iracundius litem inter se exercuissent. Hactenus de iis injuriis, quæ homini ab homine inferuntur. Sequitur, ut de iis, quæ a fortuna, atque casu proficiscuntur, præcepta tradamus, cujus offensio tanto gravior est, quanto ea mi-

minus patet ad vindictam. Calamitas illi messem omnem, atque vindemiam abstulit; navem alii pretiosissimis mercibus onustam mare depressit; tegula alii ex impluvio in caput decidit; equo alius excidens crus perfregit; alius aliter fortuito offendit; omnibus sua caussa est, cur irascatur; at in ventum omnes, qui nihil sentit, neque ullam vindictam pertimescit; ut cum se frustra queri videant, cito eos questus deserant. Quin multis etiam hæc consolatio adhiberi potest, ut secum dicant: multo pejus mihi accidere potuisset. Pars bonorum adempta est maxima; superest tamen tantum, quantum satis ad universam familiam opus est alendam. Alius, quid, si ego in illa fuissem navi? nihil postea reliqui factum esset; atque ita secum melius actum esse fatetur. Novi ego adolescentem, qui noctem cum amica nobili constituerat. Aberat enim vir ejus, aut abesse simularat. Hic, dum ad eam se comparat, casu in ensem altero pede graviter offendit, quo vulnere accepto in omnes Deos omnia mala ingerens, domi coactus remansit. Postridie vero ejus diei mane a viro eam strangulatam fuisse vulgatur. Quod ut audivit adolescens, Diis gratias agere cœpit immortales, qui sibi melius, quam ipse fecisset, cavissent. Quid vero ille, qui adolescens in morbum Gallicum incidit, ex quo postea numquam convaluit, sed in dies magis miser torquetur? ut hic omnem medendi artem, ex Indico etiam ligno suos dies biberit, neque quicquam profecerit; ad unam animi patientiam, de qua mox dicam, tamquam ad ultimum remedium confugiet, æquo [ut melius facere poterit] animo suos cruciatus perferens, ita Deo, ut suam imprudentiam, atque immodicam libidinem excuset, placuisse, cui nihil mali placere potest, existimans. Atque hoc satis ad eam injuriam, quæ damnum affert; nunc de ea, quæ ad honorem pertinet. Hæc autem inde maxime exoritur, cum contemnimur. Quare pauperes, atque infimę conditionis homines sæpius irascuntur, quia ab omnibus contemnuntur. In contemptu autem hæc insunt; nos, nostraque cæteris, atque adeo indignioribus, posthaberi, atque etiam derisui haberi. Hoc autem in comparatione maxime; ut de Ajace, atque Ulysse in Achillis armorum contentione, in qua Ajax indignans, ut se quisquam sibi conferre auderet, perpetua exarsit iracundia;

contra mitius Ulysses, naturam suam sequens, in eadem modestissime est versatus. Sed in suffragiis, atque petitionibus facilius sentitur; cum is repulsam fert; ille vero alter decernitur; cui id remedii esse poterit, si in facto Reip. suæ, quam in se, melius consultum esse viderit, cujus utilitatem propriæ dignitati ante ferre debebit; aut cum in celeberrimis locis, qui nobis inferior sit, superiori in loco collocatur. Ferunt, Dantem Aldigerium, aliquando ad convivium invitatum, nulla pretiosa veste indutum accessisse: quare etiam in infimo mensæ loco positus fuit. Cum vero hoc idem illi evenisset, serica veste, atque aureo torque collo circumvoluto venit; tum in mensæ capite est honorificentissime repositus. Fercula jam apposita erant: quisque suis instat, ac, quicquid obsonii magis placet, id sumit, atque comedit. Dantes vero eo instrumento, quo cibus ex esculentis ori ministratur, esculentum in vestis modo hanc, modo aliam partem infundebat; elixum deinde in alterum humerum imponens; ex utroque vero integras aves appendens. Quod ut convivæ viderunt, rati id, quod erat, non sine aliqua bella caussa tantum Virum tam inquinate agere, quid hoc sibi vellet, omnes quærere cœpere. Tum ille: optimi convivæ, vestis meæ, non autem meus hic est locus. Quare æquum est, uti ego eam, ut videtis, pascam; atque ita Dantes injuriam illam hac urbanitate est ultus. Imprudentiæ supra Menelaum accusabam, qui nimis familiariter Paridem accepisset; nunc contra Paridem ipsum injuriarum ago, qui hospitium adulterio prius, deinde rapina violasset. Quare Menelaus ita exarsit, ut illi prius non pepercerit, quam Trojam ejus Urbem incendio sustulisset; si quid tamen mitius agere voluisset, a qua sæpius contemptus fuerat, is eam pariter contemptam habere potuisset, atque illi repudium, quod ei licebat, misisset. Duo sunt reliqua, quæ huic universo morbo maxime mederi possunt; alterum patientia; vindicta alterum. Hæc enim omnis injuriæ finis est; quæ si aliena opera fiat, nos maxime delectat; si vero nostra, nos eosdem feliciter beat. Certe ex Cæsaris nece magna ad omnes, qui Remp. salvam esse cupiebant, lætitia pervenit; Bruto vero, & Cassio, qui suis manibus eam fecere, multo majorem venisse non dubitatur. Verum quoniam mihi cum Christiano Viro nunc agitur,

qui omni hac ulciſcendi ratione vacare debet, quique ſive ulla injuria ab alio homine, ſive a fortuna, ac caſu cuiquam profecta ſit, ac quæque ea ſit, illam ignoſcat, neve quicquam recordetur, oportet; immo vero magis ut ad novam accipiendam, quam ad acceptam vindicandam, ſe comparet; de hac nihil amplius dicam; hoc remedium beſtiis, quique beſtiarum more vivunt, relinquens. In una vero patientia tanto ſalutarius remedium, quanto etiam æquius, ſentitur. Hac igitur, qui quanta quanta ſit affectus injuria, ſe communiet, atque in ejus præſidiis ſe ſe collocabit, ut inde nulla vi, nulla recentiori, ac majori injuria deturbari poſſit, ſibique non ſolum patientiſſimos cujuſque generis viros proponet ad imitandum; ſed unum tantum, qui quicquid ſupra cernitur, quicquid infra ſpectatur, creavit, atque confecit, qui cum noſtra culpa omnes ignominias, omnes contemptus, omnes denique cruciatus a Gente illa, de qua ſæpius ad univerſam ſalutem optime promeritus erat, qui vel uno nutu omne eorum genus perdere potuiſſet, pro ea tamen vindicta Patrem ſuum, ut iis ignoſceret, neque eorum tantam ignorantiam quicquam ulciſceretur, in medio cruciatu rogat; hunc, inquam, ſi optimum Magiſtrum imitabimur, atque in una patientia cum illo omnes noſtras vindictas obliviſcemur, atque Deum rogabimus, ut eorum ignorantiæ miſereatur, ſecreto nobis ille in his humanis contemnendis, atque fortius perferendis, numquam deerit; cum vero hinc diſceſſerimus, unde omnino aut citius, aut ſerius ſumus diſceſſuri, ad ſe, ut ex ſuis, feliciter revocabit. Hæc habui, Cochi, quæ tibi de Iracundia devitanda perſcriberem. Non me fugit, multo plura a cæteris Scriptoribus te habere poſſe, atque etiam fortaſſe potiora, ut qui in iis ſtudiis omne ſuum ſtudium poſuerint; noſtra tamen neque ea indignitate eſſe videntur, quæ prorſus contemnantur; certe quę a Magiſtro tuo tibi veniunt, minime ingrata eſſe debebunt. Sed ego, ut Athenodorus Auguſto ſuum illud de Græcarum literarum lectione ultimum præceptum dedit; ita hoc tibi do; ut te ſemel iratum in ſpeculo videas. Spero enim, ut ex oris deformitate animi turpitudinem facile conjiciens, ab hoc teterrimo monſtro abhorreſcas, atque in tua animi ſedatione conquieſcas.

DE CONSILIO PRINCIPIS

LIBELLUS.

BARTHOLOMÆI RICCII

DE PRINCIPIS CONSILIO,

Ad Bartholomæum Ferrinium Herculis Ateſtii Ferrariæ Principis Scribam Integerrimum.

Vitæ ſuæ rationem ob oculos ponit, Opera ſingula a ſe confecta, & publici juris facta recenſet, quibuſque ea inſcripſerit, oſtendit. Cur autem Opus hoc de *Conſilio Principis* ipſi potiſſimum dicandum cenſeat, ſubjicit, ejuſque ſanctiſſimos mores, & totius vitæ ſingularem integritatem extollit.

E*Go te, Ferrini, minime fugere ſcio, quam omnibus Scriptoribus liberum ſit, ac ſine ulla controverſia conceſſum, ut unaquaque in re, quæ magis quemque delectet, dictionem exerceant ſuam. Neque vero inter amicos negatum minus, ut de alio quovis genere beneficentiæ mereat alius, te eundem minime præterire, ignoro. Nam te in altero pervarie verſari video; in altero etiam ſæpius expertus ſum, atque adeo in dies experior magis. Quam utramque & ſcribendi & dandi liberam permiſſionem cum ego quoque jampridem animadverterem, in utraque quoad ejus facere potui, & officium & ſcriptionem exercui meam.*

Nam

Nam admodum adolescens ad bonorum Authorum Latinæ locutionis observationem me dedi, atque eo modo, quo ante me nemo. A quo meo instituto non destiti prius, quam ad eam magnitudinem volumen illud perduxi, qua vulgo octo jam annos sub Latinæ Locutionis Apparatus inscriptione a doctis omnibus legitur, &, ut audio, non ingrate legitur. Quo interea quoque tempore; nam id studii in multos annos productum est; multorum hominum, qui alicujus sunt nominis, ut legenti occurrebat, vitam breviter perstringebam. Cum his Joannis Cornelii Somnium conjungitur, in quo Civem illum primarium parentis Georgii nomine vita jampridem functi ad Remp. capessendam hortabamur. Huic Castrutii vita, quam ipsi Latinam fecimus, accedit. Ab Apparatus autem editione Sebastianum Gryphium duabus perpetuis Orationibus majestatis accusavimus, qui, spreto Regis Diplomate, Apparatum nostrum excusserat, atque in omnibus Galliæ Bibliothecis venalem proposuerat. Post Gryphii accusationem sub Italicam Latinam cum propriam, tum figuratam locutionem ad ingens volumen collegimus ex bonis nostris. Quod quoque opus absolvemus aliquando, si vita superfit. Post hunc ad Italicam rationem Latinum Apparatum eam Orationem scripsimus, qua ego meorum Civium nomine Herculi Atestio Alphonsi Filio Ferrariæ Principi gratulabar, quod re salva, atque ex sua sententia apud Cæsarem Neapoli constituta;

ad

ad suos tandem sese incolumem recepisset. Vix dimidiatus intercesserat annus, cum Ravennam accersor, qui publice in ea Civitate humaniores literas profiterer. Eos Cives de more in nostro ipsius muneris publici initio justa accepimus Oratione. Quo vero tempore in docendo Ravennati Juventuti operam damus, Particulas, quae in tertiam Apparatus nostri partem veniebant, planius expolivimus. Interea in alterum biennium a Ravennatibus delecti Ferrariam ab Hercule Principe accersimur, qui Alphonsum filium in hisce ipsis studiis institueremus. Ab adventu Ferrariensi Principis pueri vitam scripsimus. Vix hac perscripta, Manutianam suasionem aggredimur. Altero autem anno Londrum Principis Herculis canem egregium miserabiliter a suis venando fossum, novo modo pro funere laudavimus. Londri laudationem duae aliae consequuntur Orationes, una ad Herculem Principem; altera ad populum Ferrariensem, etsi neutra tamen est habita. Cum his conjunximus de laudibus eloquentiae Librum, quem sequitur ad Lanfrancum Gypsium Principis Herculis Procuratorem de Procurationis ratione epistola bene longa. Ad haec accedit de Judicio. Huic postremo adjunctum est hoc, quod habes de Principis Consilio; quae tamen postrema studia Imitationi tanquam adventitia accidebant. Nam de Imitatione semper aut aliquid scribebam interea, aut saltem quod in eam conjicerem, attente observabam; quod opus

cum

cum in duos libros distribuissem, jam alterum pœne expolitum; alterum non imperfecte informatum habebam; quos si ad optatum finem perduxero, spero, studiosis non ingratum opus futurum. Hac ego hactenus scribendi libertate sum ùsus, ac utar posthac, quamdiu mihi per vitam licebit; quam scribendi rationem benigne faciendi ratio par secuta est. Nam cum me res mea pertenuis de me optime meritis alia gratia memorem atque gratum præstare non sineret, illud scriptis, quoquo id possem modo, assequi conabar. Itaque meis Corneliis in primis me gratissimum probavi, semel cum Filio Apparàtum inscripsi; iterum cum Parenti Somnium attribui. Quod idem proxime cum duobus Atestiis Principibus fecimus, cum Parenti Castrutii vitam, Filio suam ipsius conscripsimus. Quin etiam de Imitatione, utut ea res non minimum adhuc & temporis & studii desideraret, cui tamen ea quoque mitteretur, jam non apud me tantum constitueram, sed illi quoque, cui eam destinaram, per literas meam hanc gratissimam animi voluntatem significaveram. Quod meum vetus institutum cum in hoc quoque meo Consilio servare pervellem, quærebam cuinam id ex amicis recte mitti posset, qui cum multi occurrerent, iique omnes eo munere perdigni, omnium tamen tu mihi, Ferrini, unus extitisti, quem jure optimo cæteris omnibus anteferrem. Neque id ea ratione, ut quicquam eo consilio in rebus decernendis aut prudentior

fie-

fieres; aut fides tua magis probaretur, qui hæc eadem præcepta, quæ nos in nostrum Consilium conjecimus, ex iis fontibus, unde nos hausimus, te omnia certo sciremus hausisse; sed, cum tu omni studio ac prudentissimo consilio tuo (ut nunc reliqua in me tua omittam collata officia non pauca) rem mihi Ferrariensem, hoc est, senectutis meæ honorificentissimam quietem & diu, & fortiter sustinueris, & tandem feliciter confeceris, ut ex tanto tuo in me beneficio aliqua ex parte animum erga te meum & gratum & memorem probarem; deinde ut quodam etiam modo tibi felicius ominarer, qui eo loci jampridem constitutus es, unde ii, qui Principi nostro in consilium adhibentur, constantissima ratione deligi solent; ut cum is numerus (quod equidem mallem) augendus sit, aut omnino in alterius locum deligendus sit alius, is a me tibi locus quasi divinitus constitutus videatur, qui aut numerum illum plane impleas, aut omnino alteri feliciter succedas; tametsi, qui ex bonorum omnium sententia, cum casus venerit, rectius fiat, video neminem. Nam præter eam operam, quam eo in loco Principi nostro jam multos annos in scribendo optimam navas, ac multas Italicas Legationes, quas interea prudentissime obire non intermittis, accedunt tui isti sanctissimi mores, tua ista totius vitæ singularis integritas, ac optimorum studiorum ratio minime imperita; postremo tua ista & vultu & sermone suavitas omnibus gra-

gratiis condita, cujus quidem innatæ humanitatis quanta vis ſit, quamque hominum animos facile ſibi devinciat, nihil attinet diſputare, cum ea virtus unius hominis ſit maxime propria, maximeque ad amandum neceſſaria. Unum fortaſſe a te ad tantum munus obeundum deſiderari poteſt; hoc eſt, paulo pluſculum annorum; quorum tamen prudentiam ipſe cum tuopte ingenio, tum ſummo ſtudio atque artificio longe ſuperaſti. Sed locus hic non eſt, ut de tuis laudibus pluribus agatur, jamque eo perventum eſt, ut quales eſſe debeant ii, qui Principi in conſilio adſint, quoad melius fieri poſſit, planius diſputetur.

In

IN omni igitur recte capiendi conſilii ratione duo in primis ſpectanda ſunt, ut prudens, ut fidelis ſit, quem in re decernenda nobis ſequendum eſſe propoſuerimus. Nam ſi prudentia ſine fide adhibeatur, pejus nullum venenum conſilio admiſceri poteſt; fides vero ſine prudentia quid in rebus dubiis valeat, nemo non videt. Altera itaque alterius ope, atque auxilio maxime indiget. Nam ad quorum prudentiam fraus adjungatur, non modo periculum erit, ne noſtra ii cæteris conſilia prodant, ſed conſulendo etiam ne nobis mali ſint authores conſilii. Fidelis vero ſine prudentia in re magis tegenda, atque, ut juſſeris, conficienda, quam in decernenda, atque invenienda uſus erit accommodatior. Plane enim hic partes ſuas omnes executus fuerit, cum quod ei ſecreto commiſeris, nullis id tormentis adhibitis, nullis maximis præmiis propoſitis indicarit. Quibus autem rebus res hæc utraque comparetur, aut quibus facilius eſſe ſoleat, videndum eſt; ut eo conſilio uti poſſimus, cujus neque nos pudeat, neque pœniteat. Ac quod ad prudentiam attinet, quam eandem graviſſimo nomine Sapientiam appellant, ea duabus his potiſſimum rebus contineri videtur; rerum ſcientia, earumque uſu & tractatione. Nam qui de unaquaque re prudenter conſilium capere volet, ejus rationem omnem recte ante, ut teneat, oportebit; quando conſilium nihil ſit aliud, quam, de rebus maxime venturis quid ſtatuendum ſit, ſapienter decernere. Hic igitur mihi Conſiliarius maxime probabitur, qui primum Juris Civilis ſcientiam optime calluerit, quando in hoc genere conſilii, quo Civitates, atque Imperia conſervantur, illi ſæpius verſandum eſt; deinde qui de unaquaque re quamvis ad deliberandum facillima in utramque partem conſultandi rationem probe perceptam habuerit, ac, quemadmodum pro omnibus, ac contra omnia ſapienter diſputetur, perdidicerit; ut omnibus dubitationis numeris recte cognitis atque perceptis, mature ac tuto conſtituere poſſit, quid agendum, ſequendumque ſit, quid non. His illa accedant; ut multa in primis Virorum illuſtrium facta, conſilia legerit, audierit non pauca, meminerit omnia, Rerumque publicarum, Principum, Populorum deliberationes in rebus dubiis fideliter

ter

ter comprehenderit; postremo multarum Nationum, Gentium instituta, consuetudines, qua re quæque maxime moveatur, quidque fugiat acerrime, egregie noverit. Huic autem rerum multiplicium cognitioni frequens volumus accedat usus. Nam si hic forte absit, quodammodo ea intelligendi ratio tota jacebit, fietque multo in dies obtusior, atque ignavior. Multos enim multi novimus, qui pœne omnium omnia consilia, facta probe teneant; si tamen eis quid aut agendum, aut deliberandum accidat, parum id apte facere norint, neque ad illorum consulendi rationem quicquam suam consultationem accommodent, quoniam nullum usum, nullam exercitationem attigere; ut vere dicant, rerum experientiam effectricem esse & magistram omnium; cum contra multos sciamus ex solo rerum usu & tractatione eam agendi commendationem sibi confecisse, quam numquam ex sola rerum cognitione confecissent. Hic autem, qui nobis propositus est, usus, duobus modis maxime perficitur; altero, cum in re ficta atque ludicra ingenium exercetur; altero, cum res agitur ipsa, ac quasi in conflictu, atque in Sole; non autem in præludiis, atque in umbra versatur; quorum etsi prior minime improbatur, ut qui viam alteri munitissimam expediat, atque inde magis parati ad veram deliberandi rationem homines deveniant; quæ tamen sequitur, certiorem atque tutiorem rerum deliberationem adhibebit. Neque enim gladiator, qui tantum sese ad arenam instituerit, in eam tamen numquam descenderit, continuo ea vulnera inflixerit, aut ejus præsenti vi animi rem geret, quo qui ferrum hostis sanguine sæpius concalefecerit. Nunc igitur deligendum esse censeo, qui ex eo genere sit, qui serio in rebus gravissimis diu, assidueque versatus sit. Verum quoniam horum hominum mira est paucitas, ac quos a parentibus nostris accepimus, ii perpetuo non sunt habendi, ad alterum genus confugiendum esse, nemo non videt. Quare magna Principibus quoque cura adhibenda est, ut in suis Civitatibus hujus ordinis quasi Consiliariorum seminarium quoddam frequens numerus feratur, quod in Rep. Veneta & in iis, quorum opera & in scribendo & in legendo utitur assidue, factitatum est, & aliquando in iis quoque, qui in ordinem Senatorum postea venire possent, servatum audio. Siquidem illi domi optime instituun-

tuuntur, qui postea foris Legatis a manu sint; ex his autem, quasi facti Senatores, in eum ordinem venirent. Nam cum in Senatum, nisi cum natu grandiores, tum qui summa Viri essent prudentia, de more legerentur, quique de rebus gravissimis prudenter atque e Rep. maxime decernerent, aliquando tamen non parvus adolescentum numerus ad Seniores ascitus est, qui paulatim rebus publicis tractandis assuesceret. Hic enim primum literis quibusdam legendis intererat; deinde etiam cum aliquid disputaretur, quod non ita ad summam Reipub. pertineret, una simul assidebat, neque a quorumdam Principum Legationibus audiendis excludebatur; verum cum res venisset ad suffragia, tum missus hic fiebat Senatus. Hi postea, cum per ætatem liceret, pœne facti in Senatum veniebant. Sed quid ego te alienis exemplis moror? quasi Alphonsus Princeps noster hoc ipsum cum Hercule Filio non perfecerit, quem vix quatuordecim annos natum ad quædam publica consilia admittere non dubitavit, ac non multis annis post pœne omnibus rebus gerendis interesse voluit. Valet certe plurimum ad unamquamque rem instructum, atque exercitatum accedere. Quare ego id in primis curarem diligenter, ut haberem, qui mihi ex superiore ordine in consulendo operam suam navarent; cum vero is potior usus deesset omnino, ne ex altero eam opem admodum desiderarem, æque providerem. Altera vero pars, quam in fideliter consulendo positam esse diximus, tantam vim habet, ut si hæc ab omni consilio absit, quævis res privata, quævis publica brevi, ac facillime subverti possit. Quamdiu res Romana fidelibus consiliis gesta est, domi cumulatissime familiarem adauxit; foris imperium maxime dilatavit; de omnibus Gentibus triumphos reportavit; ut vero in suam quisque ambitionem discessit, ac magis simulationi, quam virtuti, Imperia, Magistratus mandari cœptum est, continuo ea labi cœpit, brevique ad interitum suum corruens, funditus interiit. Sane pejor hostis nullus reperiri potest, quam qui verbis amicissimis se ostentet, re autem vera infestissimus inimicus existat. Nam quem mihi sciam aliqua levi suspicione infensum, ab eo in omni re minima mihi attentius cavebo; ac, ut quædam negligentius curem, certe nullam illi in rebus gravissimis fidem habebo; hic vero

ro cum intra noſtra præſidia verſetur, cuique noſtra non modo conſilia ſint aperta omnia, verum eorum plurima ex ejus ſententia & conſtituantur, & gerantur, hoc nulla perniciofior peſtis, nullus capitalior hoſtis rebus noſtris adhiberi poteſt. Et profecto cum duobus modis homini injuria fiat maxime; vi uno; altero fraude & malitia; multo, quod poſtremum eſt, perniciofius habetur, dignumque odio eſt majore. Sed jam ad fidelitatem redeamus. Eam igitur Conſiliarius noſter præſtare debebit, quæ multis propoſitis præmiis, multis objectis periculis, neque minui, neque labefactari quicquam poſſit; quæ fideliſſimum conſilium det; quæ datum diligenter tegat, atque cuſtodiat. Sed quoniam hujus quoque ratio ad eum maxime pertinet, qui ejus opera indiget, non alienum eſt viſum, ſi, quæ ipſe præſtare debeat ad hanc conſequendam, brevi percurrerem. Hæc igitur una ea re potiſſimum conciliabitur, atque conſervabitur ardentius, ſi Princeps ipſe ametur, perque charus habeatur. Nam ut, quos odimus, periiſſe cupimus; ſic, quos amamus, quique nobis chariſſimi ſunt, maxime incolumes, potenteſque ut ſint, expetimus; tantumque aberit, ut nos illis ullas inſidias moliamur, ut, quas ab aliis factas deprehenderimus, ſimus vel cum ſummo vitę periculo conſtanter propulſaturi. Qui autem hęc tanta hominum benevolentia, atque tam fidelis animi propenſa voluntas comparetur, paucis nobis videndum eſt. Duo eorum genera ſunt, quæ amantur; unum, quod ſua ipſius cauſſa; alterum, quod cujuſdam alterius ſtudio tantum expetitur. Ex ſuperiore genere ſola eſt virtus; ex poſteriore cætera, quorum cauſſa homines maxime laborant; divitiæ, opes, dignitates, gloria, & ſi qua ſunt ejus generis reliqua. Qui igitur Princeps a ſuis Conſiliariis amari volet, [omnes enim velle debent] eum ſaltem, ut ſpeciem aliquam virtutis, quando non cum perfectis hominibus vivitur, præ ſe ferat, moneo. Tanta eſt enim ipſius virtutis vis, & dignitas, ut in quibus ejus aliquod lumen appareat, ii vehementer ab omnibus amentur, atque colantur. Sed cum omnium virtutum proprium ſit homines ad ſeſe amandum allicere, una tamen Juſtitia, ac, quæ cum ea conjuncta eſt, beneficentia, magis homines ad hanc animi gratiſſimi propenſionem cogunt. Omnino commendantur ii quidem, qui, ne adverſi aliquid accidat, ſapienter

provident, quique cum id prorsus evenerit, fortiter perferunt; neque ii non optime audiunt, qui sese intra modum agendo continent; verum qui suo contenti, quique illud ipsum suum nomine, re autem vera sua liberalitate pœne commune cum omnibus habent, amantur, coluntur, observantur. Hi sunt, quorum laudes in omnibus sermonibus, in conviviis, in foro, domi, forisque maxime celebrantur; qui a populo, qui a Patribus, qui ab omnibus ordinibus, qui ab omni sexu in Cœlum feruntur; pro quibus denique homines vitam propriam effundere, si opus sit, minime dubitant. Quæ duæ divinæ virtutes etsi pene dignitate pares inter se esse videntur; quæ tamen magis popularis, quæque evidentiorem utilitatem præ se ferre videtur, vulgus ei quoque certa quadam ratione majorem laudem tribuere solet. Nam qui, quod suum est, cuique æque tribuit, is quod ad hominum inter se conciliandorum rationem pertinet, facile assequitur, & propterea etiam, quamobrem ab iis observetur, magnopere dignus habetur. Verum is tamen omnes amoris, atque benevolentiæ numeros in se transfert, qui non solum ab alieno abstinet, sed de suo etiam cum in commune omnium beneficium; tum in unumquemque separatim, quantum potest, & quoties opus est, benigne confert; qui sua sponte de pluribus rogatus, de omnibus optime meretur; a quo nullus repulsam tulit; qui suis, qui alienis, pecunia, opera, studio, commendatione nunquam defuit. Æque igitur dando Princeps, qui a suis maxime diligatur, dignus fiet; in qua una virtute quid servandum sit, ne e suis terminis excedat, fortasse Civi, qui in mediocri fortuna constitutus sit, fuit præcipiendum. Certe Principi, quique ab omnibus bonis cumulatissime paratus sit, ac cujus census ad largissimam beneficentiam uberrime suppeditentur, ne fuit quidem indicandum; multo etiam minus, quæ cætera ad hanc benigne faciendi rationem pertinent, verbis attingenda fuerunt, cum eorum præceptis veterum, iique vulgatissimi, pleni sint libri. Ex hoc item illa sunt genere, facilitas, humanitas, comitas, quæ, cum maximarum virtutum pedissequæ sint, eas quoque nonnulla affinitate attingunt. Itaque ii, in quibus hæ sitæ sunt, non leviter ea quoque ratione amantur. Nam quemadmodum nemo difficilem leviter non odit; ita facilem

nemo

nemo quisquam non minime diligit. Neque isti sunt audiendi, qui in Principibus hanc adeundi facilitatem, colloquendi humanitatem, atque comitatem accusant, atque in iis horum loco duritatem, severitatemque desiderant. Ego, Principem cum dignitate, & animi magnitudine, tum facilitate, & humanitate cæteris antecellere hominibus, par esse existimo. Nam, quod ad rem nostram attinet, & cum facili, quæ sentimus, liberius explicamus, cum comi etiam hilarius. Sane magis in rebus agendis, quam in consulendis, severitas adhibenda est. Hæc si in reliqua vita comitate sit condita, multo omnia in Principe sunt laudabiliora. Illud postremo hominum benevolentiam conciliat maxime, si rursus ament, qui diligi volunt. Nulla enim major vis inesse solet, quam in quaque re par pari, ut ajunt, respondere. Nam ut beneficentia beneficentiam, fides fidem gignit, atque etiam ex odio fit odium, sic amorem creat amor, & amari cogimus amando. M. Accius Plautus senem inducit in Casina, qui amoris virtutes locupletissima oratione prosequitur. Is multis eum ut modis dilaudavit, postremo *rerum omnium condimentum*, quasi ejus laudes omnes unico verbo complecteretur, appellat; cujus sunt hæc carmina.

Omnibus rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis
Antevenire; nec pote quicquam commemorari, quod plus salis,
Plusque leporis habeat hodie. Coquos equidem nimis
Demiror, qui tot utuntur condimentis, eos eo
Condimento uno non utier, quod præstat omnibus.
Nam ubi amor condimentum inerit, quoivis placiturum credo.
Neque salsum prorsus, neque suave esse potest quicquam, ubi amor
Non admiscetur. Fel quod est amarum, id mel faciet:
Hominem ex tristi lepidum & lenem.

Hæc Plautus de suo amore; nos vero ad nostrum. Is est igitur non solum rerum omnium condimentum, sed amicitiarum auctor optimus multarum. Nam ut a natura gigni sensum amandi & benevolentiæ charitatem minime inficiamur, id plerumque tamen fit aut in eos, quorum aliqua probitatis significatio facta sit, aut a quibus nos amore provocari sentiamus, ut ex altera parte

ad amandum cum virtute ponatur amare, atque diligere. Quin etiam si improbi homines, atque vitæ omni turpitudine notati nos aliqua benevolentia prosequantur, eos cogimur, ut ita dicam, redamare; inter se vero, quin ament ipsi, nulli dubium est; ut quasi in benevolentia concilianda una amandi vis magis pollens, potensque sit, quam ipsius solidæ virtutis attractio, atque compulsus, quæ nisi ad se, aut ad sui simillima amandum hominem compellit. Sed, quoniam in consilio versamur, qui Princeps recte ac sapienter provisa non levi, non odiosa commendatione prosequetur, hoc est, qui virtutis suæ laudem integram Consiliariis suis, ut a se auferant, concedet, quique contra, quæ minus interdum recte consulta, quando homines sunt homines omnino, & rerum omnium non iidem sunt exitus, atque consilia, cum reprehenderit, castigarit, magis parentis lenitatem, quam heri inclementiam imitabitur, is se sciat majorem facultatem ad sese amandum sibi communire vix posse. Nihil est enim, quod tam a nobis aliorum animos abducat, quam si ne commendatione sua quidem eorum officia erga nos recte adhibita prosequamur; tantumdem vero si eorum ipsorum errata insectemur acerbius. Sinat eo se quoque nomine Princeps amari, quod homines sperent quædam sua commoda facile consequi posse. De quo genere toto quoniam satis abunde paulo supra, cum de liberalitate agebatur, dictum esse arbitror, non eadem hoc quoque loco retexenda sunt visa. Illud satis sit, si addam, quid ii sperent Principi diligenter esse odorandum, neque dum rogetur, expectandum, & ne frustra eos spes illa aut fallat, aut etiam diutius teneat, accurate illi erit providendum. Nam eo homines loci desinunt amare, ubi initium faciunt desperandi; neque majus ullum beneficium conferri potest, quam cum ultro, quod opus est, cum cito, quod expectatur, confertur; ex qua una multiplici amandi ratione ea, quam nos in primis quærimus, fides existit integerrima, quæque nullis adversis temporibus Principem suum deserit, quæ nullis maximis ostentatis periculis quicquam de statu suo commovetur, quæ se nullis denique propositis amplioribus præmiis, quicquam violari, atque labefactari sinit; qua una integerrime comparata sciat Princeps sibi nihil reliqui fieri ad recte consulendum, in quo ei ad-

mo-

modum elaborandum sit. Nam quæ sequuntur, sunt ea quidem ad rem pertinentia, sed non in quibus rei totius summa versetur. Cujas igitur esse debeat, quem Consiliarium delegerimus, an quem nobis nostra, an quem aliena Civitas tulerit, videndum esse arbitror. Ac quoniam in utroque plures dantur gradus, quem mihi natura propiorem dederit, si cætera sint paria, naturam in deligendo magis sequar omnino. Minus enim caussæ habet, quem ex nostris delegerimus, quamobrem nos prodat, quam quem alienum asciverimus. Nobis enim cum hoc Patriȩ charitas intercedit, cujus vis quanta sit, quantumque qui eodem in loco orti sint, natura ament inter se, longus ero, si coner explicare. Huic parentum, filiorum, propinquorum adjuncta est pietas, quibus, ne sua ulla culpa gravius affliđentur, a quibus & dignitatis gradus omnes, & commoda amplissima expectent, magnopere cavendum est. Bona deinde, fortunæ, quæ interdum per se ipsæ pęne satis habent inimicæ suspicionis ad auferendum. Suos vero prodere, ad alienos transfugere, monstro magis est simile, quam homini, qui ullius sit aut consilii, aut rationis particeps. Nostri postremo cum nostra melius norunt; tum eo quoque nomine illa chariora habere solent, quod cum illis sua etiam conjuncta videant commoda. In hoc etiam cæteris Civibus spes afferetur non levis, posse eos quoque ad eum dignitatis gradum aspirare, si eam operam dabunt, ut tales probentur, quales jam delectos esse videant; neque quodam illi modo indignabuntur, molesteque ferent, cum viderint sibi alienos in fide, atque in consilio longe anteferri; qua una opinione nihil in Civium animos perniciosius, nihil magis odiosum illabi potest. Numerus autem etsi nullus certe pręfinitur, quoniam is ad Principis rationem maxime accommodandus est; si plures tamen adhibeantur Consiliarii, solet id consilii multis rationibus magis probari. Continuo enim quo plures sunt, qui in consilium adhibentur, eo etiam & consultius decernitur. Quis enim non videt, ubi multi sententiam dicant, planius, quid sit verum, indagari, quam ubi paucorum sit judicium? ut vere dicant, omnes omnia scire, pauciores pauca noscere. Nam quod unum fugerit [cum plerumque in re perdifficili versandum sit] fortasse alterum præteribit, certe plures minime fallet. Ad

hæc illud accedit, quod cui cum multis decertandum ſit, ut is undique munitior exiſtat, maxime illi providendum eſt; ſic noſtris eveniet, qui, ut in ſua quiſque dicendi ſententia prudentior videatur, certatim elaborabunt, atque in eo ipſo Principi operam ſuam ſtudioſius navabunt, in quo ſe magis illi profuturos arbitrabuntur. Adde illud, quod ſi alius impedimento aliquo ab officio interpelletur, atque eo interdum tempore, cum ejus opera maxime ſit opus, alii præſto adſunt, ſuamque ipſi ita operam impertiunt, ut unius abſentia nihil deſideretur. Quin ſi quis diem ſuum tandem obiverit, non unius deſiderio Conſilium orbatum videbitur. Ac ne illud prorſus diſſimulem, agamque fideliter in meo Conſilio, niſi ex multis unus detur omnino facilius, quam ex paucis, ad corrumpendum, eorum ſane, qui conſulendo nobis complures adſint, ſententia magis probanda eſt, quam qui pauci conſtituant, atque decernant. Certe qui rerum potiantur, pauci, atque adeo ſolus ſit; qui illi in conſilio adſint, cumplures omnino eſſe debebunt. Quoniam vero & rerum certior cognitio, & earum ipſarum facilior pertractatio, quæ duo Conſiliario noſtro maxime ſupra attribuebamus, grandioris ætatis eſt omnino, grandiorem hominem natu magis, quam adoleſcentulum in conſiliis dandis ipſe deligerem. Ætatis enim maturitatem conſilii maturitas ſequi ſolet; niſi, Ferrini, in te, atque in tui ſimillimis, qui ætatem prudentia, fide omnia officia ſuperatis, facile aliter ſentiam. Finis autem, quo omnia ſua conſilia referat, is mihi conſtituendus eſſe videtur, qui cæteris quoque in rebus recte conſtituitur, honeſtum. Neque ego unquam cum illis ſentiam, qui in Rep. decernenda tantum utilitatem ſpectandam eſſe præcipiunt, magiſque Ariſtidis conſilium, quam Themiſtoclis excogitatum ſemper equidem probarim, cum hic de incendenda hoſtium claſſe, quod factu erat quam facillimum, excogitaſſet; ille vero ſapienter ad Senatum retuliſſet, perutile eſſe quidem, quod Themiſtocles afferret, ſed minime honeſtum. Vera Ariſtidis, hoc eſt, æquiſſimi Viri ſententia; quem Fabritius Conſul egregie imitatus eſt. Nam cum P. R. cum Pyrrho acre ac magnum bellum gereret; Pyrrhi familiaris quidam ad Conſulem detulit, ſi gratum P. R. futurum ſciat, ſe habere, qui Pyrrhum veneno de medio facillime tollat, de quo non prius Con-

ſul

ful ad Senatum retulit, quam eum ipfum ad Pyrrhum remittendum curavit, eumque per litteras admonuit, ut ab hujufmodi infidiis pofthac diligentius caveret. Contra vero turpiffime Q. Fabium Labeonem feciffe a fapientiffimis Viris judicatum eft. Nam cum is inter Nolanos, & Neapolitanos de agri finibus difceptantes inter fe arbiter a Senatu datus effet, ita cum utrifque egit, ut eorum quifque inde, quo fines fuos protendebat, longe fe reciperet, quod vero in medium agri relictum fuerat, id Populo Romano adjudicavit; quod quidem fallere potius fuit, quum judicare, atque ex leviffima re tantę Reip. notam inurere fempiternam. Qui igitur Principibus in confilium adhibentur, ab eo, quod illis propofitum eft, honefto in fuis confultationibus ne latum quidem, quod ajunt, unguem difcedant; hoc unum intueantur; huc referant quicquid in confultationem cadat; videantque in primis, ne fpecie quadam honefti, atque umbra decipiantur. Hac enim una ratione & communibus omnium rationibus optime confulent, & ipfi Principi fuo Viri boni habebuntur, qui quanquam hujufmodi utilitatem interdum fequi cogatur; plane tamen videt, quod ea fugienda fit, quodque vituperanda, ut non tam illi ea accidat, fi affequatur, grata, quam eorum confilia, quibus ad eam impellebatur, efficiantur infenfa. Neque id non probe meminerint, quicquid Princeps ipfe in Cives fuos admittit, id totum in fe converti folere, Principem id immune auferre. Vulgo enim palam hæ ftatim voces jactantur: ab eis hæc mala Civitas patitur, qui Principis rem curant; qui ejus confiliorum participes funt, hæc nobis infligunt incommoda. Quin fæpius cum diu ab iftis peffime audierit Princeps, ut fuorum Civium gratiam fibi conciliet, tandem cauffam aliquam reperit, quamobrem fe ea fufpicione liberet, illos ulcifcatur, ac illud fiat, quod tritum eft, ut malum confilium Confultori peffimum evadat. Fugienda omnino eft Principis adulatio, in quam ut femel incideris, perpetuo univerfa recte confulendi ratio tua interierit, neceffe eft. Hæc habui, Ferrini, quæ mecum difputarem de iis, qui Principibus Confiliarii adhiberi folent. Non vereor, quin complura alia & inveniri argutius, & copiofius difputari, & ornatius dici poffint; fed illud pervulgatum eft, non omnia in quaque facultate perdoceri. Quin etiam in multis fa-

tis eſt, ſi ea quaſi digito oſtendantur. Nam quod a me factum eſt, id magis amoris erga te mei ſignificandi, quam prudentiæ oſtentandæ gratia factum eſſe ſcire te volo; tu cætera, quæ tua eſt prudentia, cum hunc locum tenebis, re ipſa Principi tuo, atque univerſo populo facile comprobabis. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

IN QUASDAM ANDREÆ ALCIATI

Latinas voces ab eo male perceptas.

AD CAMILLUM FILIUM.

CUm hodie in tuam Bibliothecam, Camille fili, ut fere quotidie facere soleo, venissem, offendi Alciati volumina, quæ a librario paulo ante conglutinata acceperas, in suis locis, suoque ordine composita. Ea singula in manus sumpsi, aperui, atque versavi, ut viderem, an recte, atque composite consuta, atque compacta essent. Quæ omnia cum satis probassem, tanti hominis nomine invitatus, quemque etiam hic noveram per illud tempus, quo Jus Civile in hoc Ferrariensi Gymnasio profiteretur, placuit etiam ex ejus eruditione aliquid degustare, præsertim ex eis, quæ cum nostris studiis essent conjunctiora. Quare me ad quorumdam Capitum propositam summam dirigo, si quid in eo Capite, quod ad nostram facultatem attineat, offendam ab eo disputatum; in quibus cum continuo quædam offenderem, quæ ab eo minime recte cum percepta, tum exposita essent, placuit ea tibi, ut vere se haberent, explicare.

Continuo igitur Parergon lib. 6. cap. 23. in Modestini responso in suis *prolatis rebus* crasse lapsus est. Nam cum in eo varie. *Caprelata* vox legeretur, ipse cæterorum sententiam contemnens ex *Caprelata prolatam* fecit, *prolatasque res* sibi effecit, quas Cives secum rus afferunt, quibus totum illud tempus, quo rusticantur, postea utantur. Quam suam sententiam ex Plauti loco comprobare conatur. Quam autem id recte, paulo post, cum ejus verba protulerimus, demonstrabimus. Is igitur inquit. *Vocantur prolatæ res, quas pater familias ex Urbe rus advehit, ut usui sibi sint, dum rusticatur. Pignoraverat enim debitor ille non solum domum, & possessionem, sed etiam res prolatas, id est, quæ ex Urbe eo advexerat.* Locum deinde Plauti adduxit ex Captivis, ubi ait:

Ubi res prolatæ ſunt, cum rus homines eunt.
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus,
Quaſi cum calet, cochleæ in occulto latent,
Suoque ſucco vivunt, ros ſi non cadit.
Item paraſiti, rebus prolatis, latent,
In occulto miſeri victitant ſucco ſuo,
Dum ruri rurant homines, quos liguriant.
Prolatis rebus, paraſiti venatici
Sumus; quando res redierunt, moloſſici,
Odioſicique, multumque comediſtici.

Hæc ex Plauto, quem locum Alciatus, ſi ut Grammatici, in quos tam ſæpe, quam etiam inſolenter, invehitur, intellexiſſet, tam fœde in tam manifeſtum errorem non incidiſſet. Magis mirum eſt, quod Ciceronem hoc ipſum planius agentem non intellexerit; nam pudet dicere non viderit; qui omnia & legerat, & meminerat. Sed jam ejus errorem; nam de correctione alii viderint; aggrediamur. *Prolatum* igitur, ſive *res prolata* ſignificat illud tempus, cum Prætor ceſſat a Jure dicendo, cum juſtitium indictum eſt, quod tempus noſtri *cauſſarum vacationem* appellant. In quam ſignificationem Plautus quoque eo in loco commodiſſime vocem illam uſurpat. Queritur enim apud eum paraſitus ſibi accidere ſolere, cum res prolatæ ſunt, quod cochleis per æſtatem accidit, quæ per illud tempus ſuo ſucco victitant. Quamdiu enim Cives in Urbe manent, paraſitis victus commodior accidit; modo enim hunc, modo alium Civem ſectantur, atque apud eos laute accipiuntur: cum vero ii rus commigrant, tum ſuo ſibi ſucco, ut cochleæ faciunt per æſtatem, victitandum eſt. Hæc autem Civium rus commigratio quoto quoque anno, cum judicia tollerentur, fiebat: id quod erat Septembri menſe, ut Cicero ad Atticum, cum ait: *Et fortaſſe, quoniam videtur in ſuffragiis multum poſſe Galliam, cum Romæ a judiciis forum refrixerit, excurremus menſe Septembri ad Piſonem, ut Januario revertamur*: ubi etiam *res prolatas* forum refrigere a judiciis optima translatione ſignificavit. Ut *prolatæ res* apud Plautum ſit, cum judicia non exercentur, non autem ut Alciatus ſomniavit. Id quod Cicero modo *judiciorum prolationem* dixit, modo *prolata judicia*, quæ in aliud tempus eſſent dilata. Nam *proferre*, de cujus Participio nunc agitur, idem nunc eſt, quod *differre*, atque

in

in aliud tempus aliquid rejicere, ut *proferre diem*, *judicium*, *rem*, & multa alia. Ut plane videas, quid sit *proferre rem*, & *res prolatas* esse, cum judicia ipsa tolluntur, ac Prætor a Jure dicundo cessat.

Cum vero ejusdem libri cap. 10. Vallam accusat, quod dixerit *alterum* de duobus, *unum* vero de pluribus usurpari, Cæsaris exemplum afferens, qui dixit in divisione Galliæ, *Gallia divisa est in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam Celtæ*. Ubi secundo in loco *aliam* dixit, non *alteram*. Ego sic intelligo, Grammaticorum hoc in loco esse sententiam, ut cum duo tantum proposita sunt, pro *secundo* semper *alterum*, numquam *alium* sit dicendum, ut Cæsar, & Pompejus, quorum alter neminem sibi parem, alter superiorem ferre non poterat. Quam sententiam Cicero confirmat, cum ait in Tusc. 169. *Necesse est enim alterum sit de duobus*; dixit *alterum* non *alium*. Verum cum multa proposita sunt, alia ratio est, ut etiam secundo in loco, alterum, & alium, ut nobis magis libet, recte dicamus, & ut Cæsar in *alio*, sic Cicero in *altero* fecit, cum ait in Antonium, *quia, ut illi voluerant, libertatem pax consequebatur, proximo altero, tertio, denique reliquis consecutis diebus non intermittebas*. Ubi *alterum* posuit, non autem *alium*. Ut in pluribus distributis secundo in loco, modo secundo, modo alio, modo altero, nostro arbitratu uti possimus. Cesset modo Alciatus illud suum jactare, *illo sed nondum tempore factus erat*.

In septimo vero lib. cap. 20. particula *partim* contra Budæi correctionem conatur probare non semper iterari, sed solam interdum poni solere, ut apud Pomponium usurpatur. Quo in loco mihi videtur particulæ usum non satis animadvertisse, quæ etsi non geminetur; tamen vocem alteram habere, quæ pro *partim* accipiatur, ubique constat; ac continuo in suo Hirtio, ubi ait: *quod nisi locorum notitia reliqui se texissent, partimque in naves, quibus flumen transierant, recepissent, funditus deleti essent*. Quo in loco alteram distributivam præcedere in *reliqui* non vidit bonus Alciatus. Fac enim ita: *quod nisi locorum notitia partim se texissent, partim, &c.* Idem erit sensus; ut *reliqui* pro altera *partim* sit positum. Neque refert, utrum *partim* duplicetur, an vox alia pro eadem ponatur, id quod Cicero de Divinatione 2. 2. fecit, cum ait: *bestiarum terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles*: hoc est,

par-

partim terrenæ sunt, partim *aquatiles*, vel ita: *aliæ terrenæ*, *aliæ aquatiles*. Item 9.9. *multa inusitata*, *partim ex Cælo*, *alia ex terra oriebantur;* ut nunc mutato ordine idem tamen dixerit. Quod vero contra Rullum, ubi sola particula est posita, nemo tam cæcus est, qui non possit perspicere in loco mendum esse, quod etiam Manutius suo asterisco indicavit. Ad Atticum vero 172., ubi legebatur *partim*, Manutius *per te*, & recte quidem correxit, hoc modo: *videbis ergo*, *ut sustentetur per te*, *non autem partim*. Quin etiam si in Oratione desit, in sensu tamen intelligi necesse est. Quemadmodum in *tum*, & *cum* fieri videmus, ut Ter. 129. *quot me censes homines jam deverberasse usque ad necem*, *hospites*, *cum Cives?* ubi intelligitur *cum* ante *hospites*, ut sit, *cum hospites*, *tum etiam Cives?* Quod autem ad Catonem, atque Q. Claudium attinet, jampridem in iis multa sunt obsoleta. Præterea loca integra non afferuntur, neque Gellius propterea a veteribus hanc particulam solam poni consuevisse affirmat; ut omnino Budæo assentiar, Paulum ita esse corrigendum; contra vero ab Alciato frustra tantam operam in hac re perdendam non fuisse, valde dissentiar.

Sequitur eodem in libro cap. 20. Grammaticos more suo carpens in *a* præpositionis duplici significatione ab iis non intellecta, una *cum* est pro *donec*, ut est apud Neratium Priscum, de qua nos nunc tantum agemus. Is ita inquit: *cum vir uxori legat*, *si a liberis non nupserit*. Quem locum exponit Alciatus. *Si donec filios habuerit*, *eos non deseruerit*, *& non nupserit*. *Cujus locutionis non arbitror multa reperiri exempla*. Hactenus ille. Quid autem iste tantopere in re planissima se jactet, alii viderint. Quis enim nescit, *si a liberis non nupserit*, esse, *si liberos non deseruerit*, *si cum liberis manserit*, *si ad secundas nuptias non transierit*, *quoad liberos habeat*. Quid autem hic declaret, quantum ad liberos, non video. Nam Plauti locus, quem ipse huc detorquet, aliud est. Neque enim hoc in loco usquam locum habet *donec* in exponendo. *Siquidem valere a morbo*, *atque ab animo*, recte quidem est, *quantum ad morbum*, *ad animum*, ut idem dixit *valere a pecunia*, idest *quantum ad pecuniam*; quasi vero Verbum hoc *valeo* cæteras præpositiones non recipiat, ut *valere ad aliquid*, item *in re*, & *in rem*, item *apud aliquem*,

aut

aut *cum aliquo*. Sed redeo ad Alciati exemplum. Is *a liberis* dixit; Cicero vero *a filio* eadem significatione dixisse videtur, qui pro A. Cluentio inquit, 24. *ita ei testamento legat grandem pecuniam a filio, si quis natus esset: ab secundo hærede, nihil legat*; ubi est *a filio nato*; idest *virtute filii nati*. Quoniam enim Magius uxoris corruptæ abortionem timebat, a filio, quem ea in utero gerebat, grandem pecuniam legat, ut mulier ea spe incolumem partum edat; contra vero ne majori a secundis hæredibus corrupta abortionem faceret, a secundis hæredibus ei nihil legat. Utrobique autem sive *a* sive *ab* particula *virtute* [ut vulgo nostri dicunt] exponi potest, non autem *donec*. Neque ego nunc exponerem *a filio*, hoc est, quam *filius ei daret*. Nam quid, antequam ad id ætatis, ut facere posset, pervenisset, faceret mater? aut si natus filius paulo post decessisset, num eam pecuniam mater a filio mortuo petere deberet? ut omnino *a filio* eo in loco legata pecunia sit *virtute filii nasciturі*. Æstimari autem linteola ab veraniolis suis, est quantum quæ ab amicissimis suis veniebant, digna erant, ut etiam tanti fierent.

Cum autem agit de patrocinio, inquit; *Advocati vero ipsi; seu Patroni iidem Oratores caussarum erant, qui in foro, & curia voce caussas tuebantur*. Qui si Asconium vidisset Grammaticum [quando iste omnes Latinæ linguæ Interpretes Grammaticos appellat] non tam pueriliter lapsus esset. Ille igitur inquit: *qui defendit alterum in Judicio, aut Patronus dicitur, si Orator est; aut Advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: aut Procurator, si negotium suscipit; aut Cognitor, si præsentis caussam novit, & sic tuetur, ut suam*. Ubi planius dici non posset Oratorem, & Patronum eum esse, qui caussam ipsam agit ad Judices; Advocatum vero, qui aut præsentia sua amico adest, aut Jus suggerit, hoc est, qui probat ex Jure esse, quod ab Oratore dicitur, inde dictus, quod in caussam illam vocatus sit. Ter. 32. *ut diligenter nunties Patri, Advocatus mane mihi esse meminerit*, videlicet, ut tantum adsit, ac sua præsentia caussam meam juvet. Nam si Patronus fuisset, non ita simpliciter cum eo per filium egisset. Sed recte Valla ex Quintiliani sententia sentire videtur, cum *Patronum* pro *defensore* tantum esse dicit, non autem etiam pro *accusatore*, unde etiam

iam Verbum *patrocinor* pro *defendo*, non autem pro *accuso*.

In sponsoris vero explicatione, quod est in primi lib. cap. 11. cum Accursii sententiam comprobavit, eum scilicet esse, qui sua sponte, a nullo rogatus, pro alio promittit, subdit postea; *hinc sponsores dicebantur, qui pro Candidatis promittebant, ne illi ambitus rei essent*. Cic. ad Lep. *De tuo negotio, quod sponsor es pro Pompejo, si Galba consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non desinam cum illo communicare, si quid expediri possit, quod videbatur mihi ille confidere*. Hactenus ille, cum a se, tum a Cicerone. Sed quod ad Ciceronem primum locum integrum non adducit, ut videri potest; deinde qui conjiciat magis de Pompeji petitione, quam de debitione aliqua, non video. Primum enim per illud tempus, quo hæc epistola scripta est, Cæsar jam tertio Dictator fuerat, ut ex Cæsaris Comment. 249. cognosci potest, qui bellum eo quoque tempore cum Cn. & Sex. Pompejis adolescentibus in Hispania gerebat, ut testatur Hirtius eodem in loco; ut nullo pacto de ulla Cn. Pompeji filii petitione hæc sponsio esse possit, quando omnes Magistratus penes unum Cæsarem essent, multo vero minus de Patre Pompeji, ut, quid iste sibi velit, non divinem; si vero scriptionem suam verius locupletare volebat, id potius addidisset: sponsorem quoque esse, qui desponsor, qui filius. Ita fieri in *spondere*, & *despondere*, etsi hoc quoque non semper ita servatur; *Sponsalia* vero apud Ciceronem arbitror esse, quod vulgo dicitur *lo Sposalizio*, *il contratto delle nozze*: quo etiam die convivio accipiebatur Sponsus: unde Cicero ad Q. Fratrem: *ad* VIII. *Idus Aprilis Sponsalia Crassipedi dedi, cui convivio Q. tuus defuit*. Utinam autem Alciatus viveret; eum amice commonefacerem, cum ut prudentius aliena studia tractaret, tum vero in ipsum Vallam eruditissimum Virum modestius inveheretur, quem etiam mortuum humum mordere criminatur: quando ipse multo magis in nostris studiis peccat, quam Valla in ejus non fecit.

Corrigit item de Verb. signif. in l. Sylva cædua, *cum occaverint*, ubi legitur, *vacaverint*. Sane similis est scriptura, sed res est dissimillima. Præcipit Jurisconsultus, ut quas messor stipulas aut falce non collegerit, aut quæ

cæsæ

cæsæ sparsim in agro relictæ fuerint, cum ei postea otium, & commodum erit, eas legat. Nam post messem siccantur segetes in manipulis, deinde in fasces grandiores ligantur, atque in ordinem quasi turritim in agro disponuntur, postremo ad aream vehuntur. His peractis, requiritur ea commoditas de relictis stipulis colligendis, non autem ut prius occent, postea spicilegium faciant; ut ego nihil immutandum de veteri lectione esse videam: verum ut melius considero, nullum hic locum occatio habere potest. Nam cum occare sit tegere, sive glebas grandiores infringere, hocque nisi semente jacta fiat, viderit ipse, quid hic occandum sit; sed vocis significationem non animadvertit.

In *prato* vero explicando, non vere, quid sit, explicasse videtur. Inquit enim, *pratum* esse *quasi paratum ad fructum percipiendum*. Nam si *fructus* a *fruor*, ut Varro, dicitur; *fructus est quicquid homines ex agro suo percipiunt, eoque perfruuntur*: Quod si ita est, ager magis fructum reddit, quam accipit, aut capit. Quare magis in *prati* expositione dicendum fuit, *pratum inde dictum esse videtur, quod paratum sit ad fructum ferendum, aut reddendum, ut quod per se nullo agricolæ cultu, aut studio eum afferat*: nisi quis capere fructum in prato tueatur, fructum eum esse, quem pratum ex terra ipsa concipit, hominibus postea editurum, itaque paratum ad fructum, quod homini postea reddat, capiendum, atque gignendum dictum velit.

Peracerbe item lib. secundo cap. 41. queritur Alciatus, quod Grammatici dictionem Latinam a barbaris vocibus, quantum possunt, tueri conentur, atque in eos gravius invehitur, quoniam ii ejus generis innumerabilia in istis Legulejis offendunt, quæ magis barbara esse non possent, etiamsi ex ultima Germania in Latium ferrentur, ut quod ille ipse Alciatus ineptissime Latinum esse defendit, *Diaconissam*, quia Augustinus *Pythonissam*, & Favorinus Philosophus *Æthiopissam*, & Hieronymus *Abbatissam* dixit: neque videt tantus Vir, si hoc detur, [ut etiam illi eorum, quos adducit Auctores, barbariem condonem] ex analogia omnia jampridem Latine recte proferri posse. Ita enim a Duce Ducissam, a Principe Principissam, a Sacerdote Sacerdotissam, infinita alia, ut ab Abbate Abbatissam diceremus. *At Maro Phœnissam, dixit*. Et recte quidem;

dem ; dixit item *mapalia* ; Cæſar autem multa nomina Gallica Latine protulit. Cicero , Salluſtius , cæterique ejus linguæ Scriptores idem in multis Barbaris fecere , qui quoniam Latini ipſi erant , facere potuere ; nobis autem , ſi id liceat , omnia tam barbare ſcripta legerentur , quam ſtipulatorum omnes tabulæ leguntur , in quibus nullum verbum eſt Latinum. Sed hac tota de re a nobis alias multis in locis abunde eſt diſputatum.

Judicium vero ejuſdem lib. cap. 42. quod de Juris Interpretibus ad Sedigiti , atque Marulli imitationem fecit , quale ſit , tibi , ac cæteris , qui Juri Civili operam datis, judicandum relinquo. Certe in eo , quod probat de Sedigito , ego magis cum Andrea Navagerio ſentio , male de Comicis illum ſenſiſſe , quam cum Gellio , atque Macrobio , qui a Gellio id cum multis aliis abſtulit. Navagerii autem epiſtola Terentiis Aldinis præponi ſolet. Eam legere poteris , & quam Sedigitus ille recte ſenſerit , plane videbis , & non ſolum eum in digito , verum etiam in ſenſu monſtroſum fuiſſe facile cognoſces.

Cum vero de *centeſimis* eodem in lib. cap. vero 23. agit , cum a Cicerone , tum ab Horatio multum diſcordare videtur. Quare hæc quoque vel contra ejus ſententiam ſcribere , vel ſaltem ad eam adſcribere placuit. Sane centeſimum eſt unum ex centum , ut milleſimum unum ex millibus. Quoniam vero ad primum majorem numerum , qui eſt centum, multa recenſentur, atque in primis ea ſumma , quæ in fœnus dabatur , ea ratione factum eſt , ut magis ad ejus rationem , quam aut ad CC. aut etiam ad mille uſuræ & terminarentur , & appellarentur. Sint modo L. fœnori accepta , eo modo ad centum rationem uſuræ pendentur , & centeſimæ etiam dicentur. Uſura igitur centeſima erat pars una ex centum , ut ex centum aureis in fœnus acceptis unus aureus pro uſura in ſingulos menſes rependeretur. Quo vero die eæ ſingulorum menſium ſolverentur , nunc videndum eſt. Calendis , ille ait , ſolutionem illam ; ego vero Calendis , & Idibus fieri poſſe reperio. Calendis , ut ille affirmat , cujus rationibus illud Ciceronis accedit ad Att. 233. *O hominem pudentem! Cal. Jan. debuit , & adhuc non ſolvit*. Quod vero Idibus uſuræ exigerentur , teſtatur Cicero in Catilinam , ubi ait : *prætermitto ruinas fortunarum tuarum , quas omnes impendere tibi proximis Idibus ſenties ;* ex uſuris ſcilicet , quas ma-

maximas ex ære alieno conflarat Catilina. *In proximis Idibus* dixit, non autem *Calendis*. Ciceroni accedit Horatius, qui in eo carmine, quo vitam beatam defcribit, hæc in noftram inquit fententiam:

Hæc ubi locutus eft, fænerator Alphius
Jam jam futurus rufticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere:

ubi *ponere* ego non expono, *iterum fænori* [ut cæteri omnes] *locare*, fed *in fundo aliquo emundo*. Quid enim ejus vitæ tot, ac tantæ laudes fœneratorem moviffent, fi tam cito ad fœnus fuum redire ftuderet? Quod vero menftruas ufuras eas appellent, nihil meam fententiam impedit. Sane ab Idibus poffunt etiam incipere fœneratores menfem fuum: aut etiam fi a Calendis, tamen Idibus ejus menfis ufuram legere ut folerent: noftri vero recentiores dant nonaginta, & tamen centum fcribunt.

In X. lib. Parergon corrigit Ciceronis locum ad Atticum, neque, quid agat, quicquam animadvertit. Prius in Codice legebatur, inquit ille: *cum in Sicilia hæreditatem fæpe hæreditaffet: haud dubie*, fequitur, *corrupte aliqui emendarunt*, *Ædilitatem fæpe dictitaffet*. Verum quid fit *dictitare Ædilitatem*, non fatis conftat. Minus recedit ab exemplari, fi legatur; *cum in Sicilia hæreditate fefe ditaffet*. Miror hominis imprudentiam, qui quod aderat, non viderit, ac quod fequitur de *dictitata Ædilitate* cum fuperiori parte non aptiffime conjunxerit. Verba autem Ciceronis hæc funt: *Qua de re cum in Senatu ageretur, fregi hominem, & inconftantiam reprehendi, qui Romæ Tribunatum plebis peteret, cum in Sicilia Ædilitatem fæpe dictitaffet*. O hominem intelligentem! Quid enim fenties, fi non fenfifti Ciceronem Clodii, de quo agebat, inconftantiam argute coarguere, idque per Tribunatum, & Ædilitatem & petere, & dictitare & in Sicilia, & Romæ? In Sicilia enim, ubi Quæftor fuerat, fæpe fe Ædilitatem petiturum effe dixerat: cum vero Romam veniffet, Tribunatum plebis fe petiturum affeverabat. Quid autem in membro illo obfcuri effe potuit, quod vel prope ab imperito homine non intelligeretur? At quid effet *dictitare Ædilitatem* mihi obfcurum erat. At fi in bonis, hoc eft, in Latinis, quos tu contemnis, verfatus effes, non tam fæpe, tam manifefte in tam pueriles errores incidiffes.

Aut iste homo sibi ad sententiam suam, quod falsum est, effingit, ut in *rebus prolatis*, aut etiam negat reperiri, quod suam sententiam destruat: ut illud in 4. Dispunctionum cap. XV. ubi negat *dis*, pro *divite* apud Latinos reperiri, cujus verba hæc sunt. *Primum id ab eo quæsierim, ubinam gentium dis pro divite singulari numero in Romana lingua ex omnium usu recipiatur?* in quo nimis sibi sumit, qui omnem Latinam linguam se vidisse profitetur, cum tamen non viderit Terentium in Adelphis, ubi *ditem* in singulari numero pro *divite* protulit, cum ait: *Dis quidem esses, Demea, & rem tuam constabilisses*. Item: *ditem illum esse oportet, qui peregrinam illam alat*. Ecquid ais, bone Alciate, negabis ne ita esse? At est ad numerum in Aldinis 94. Num fortasse Terentius in Latinis non est adnumerandus, quem etiam Scipionis, atque Lelii lingua sunt, qui locutum esse arbitrentur? Moderatius igitur agere debebas, neque ita tibi fidere, ut cæteros summo contemptui haberes.

Postremo vero *licentiam* tam in bonam, quam in malam partem recte usurpari probare conatur: id quod neque ipse, neque centum Thesauri, etiamsi sint aurei, qui omnia posse videntur, efficere poterunt. Neque enim Cicero, neque cæteri boni Auctores alio modo voce illa utuntur, quam de malo. Quis enim umquam in recte agendo a quoquam *licentiam* quæreret? Quæ honesta sunt, omnibus suapte natura concessa sunt: neque tu umquam a me, Fili, recte licentiam petas, ut permittam tibi ægrotum amicum visere, Divinis interesse, studere bono Viro inique oppresso, & in cæteris ejus generis, quæ omnia a te ipso æquissime facere potes, neque ego, si id de me quæras, dicam, *do tibi licentiam*, nisi mihi illud officium aliquam mali suspicionem afferat: ut in visendo amico, si morbus is contagiosus sit, si inter eundum in aliquod periculum incidere possis. Hæc, & cætera mala sunt, quæ *licentiam* vocem admittunt, non autem visendi ægroti amici officium; ut quoties habebis aut dare, aut petere *licentiam* de re, quæ videatur bona, semper extrinsecus aliquid accidat mali, quare in illa permissione dicamus, *do tibi licentiam*. Quemadmodum Cicero in eo loco, quem ex ejus Officiis Alciatus adduxit; *non omnem pueris ludendi licentiam damus*. Qui locus ita exponendus est: *Non concedimus pueris*

ris aleæ lusus, ac [ut nostri dicunt] *chartarum*, & hoc erit *non omnem ludendi licentiam illis damus*. Quin etiam ad honestos ludos, ut cursum, luctam, cæterosque campestres ludos possum hanc locutionem transferre, quia neque ii suo quodam vitio carent, quod est, cum non intra modum exercentur. Itaque Cicero dixit; *non omnem licentiam ludendi pueris damus*, id significans, ut non solum eos prohibeamus a turpibus ludis, sed ne etiam in honestis, ut modum excedant, concedamus, atque ita semper vox hæc *licentia* de malo usurpabitur. At Cicero ita ait, inquit Thesaurus: *Academia nostra nobis eam licentiam dat*, cum tamen sit de bono. Et non vidit id dictum esse, propterea quod ea disputandi ratio ab aliorum Philosophorum Scholis non probabatur? atque ita quasi in peccato, si alias Scholas spectamus, Academiam hanc versari, & propterea *licentiam*, ut de re non ab omnibus probata dixit. Quemadmodum si Chartusii Sacerdotes dicant, *nobis instituta nostra hanc licentiam dant, ut a nostris Templis, atque sacris mulieres exclusas habeamus*; qui recte dicent, quoniam id cultus Dei nusquam gentium admittit. Hoc item est, quod Poetæ dicere solent, cum aliquid a recta, atque usitata loquendi ratione proferunt, *id sibi Poetica licentia licere*, quod non cæteris Scriptoribus. Ergo hoc ipso, quod cæteris Scriptoribus non probatur, *licentiam* in eo, quod sibi permissum sit, dicunt. At *licet*, unde vox *licentia* facta est, tam in hanc, quam in illam partem usurpatur; ita etiam de *licentia* par faciendum esse videtur. At tu *patronum* facis tam eum, qui accusat, quam qui defendit, a quo item non negas *patrocinor* factum esse, & tamen *patrocinor* numquam est *accusare*, sed semper *defendere*; item *patrocinium*, quod numquam *accusatio*, sed semper est *defensio*; ut tuo te gladio jugulatum videas. Sed cum Quintiliano, & cæteris bonis magis sentio, ut *patronus* sit *defensor* tantum, etsi, qui accusat, quodam modo etiam defendere videtur, ut Cicero fecit in Divinatione in Verrem. Sed alia ratione nunc tecum agere placet. Duo sunt, quibus Latinus sermo comprobatur, ratio, & usus. Hoc autem est ex eis, quæ magis usu, quam ratione, servantur. Multa enim sunt, quæ a naturæ suæ ratione dissentiunt, & cum usu magis conveniunt, ut in præpositionibus, quæ natura sua, & ratione cæteris orationis

nis partibus, unde etiam dictæ sunt, præponuntur: quædam tamen tantum contra naturam suam postponuntur, [ut de iis nihil agam, quæ utroque loco, ut magis libet, collocantur, ut *in*, *cum*, *ante*, *circiter*, *usque*, & multæ aliæ, quæ modo ante, modo in medio, modo postponuntur,] ut de his, inquam, nihil agam, una *versus* est, quæ semper postponitur, ut *Romam versus*, *Padum versus*, non autem retro verso ordine; ut alias ratio, hanc vero usus ita receperit. In Verbalibus Genitivis eorum substantivum tuo arbitrio sive post, sive ante ponas, nemo te accusabit, ut si dicas *tempus est discedendi*, aut *discedendi tempus* est, ita in cæteris. In duobus vero *caussa*, & *gratia* non ita, quæ voces semper a bonis cum Genitivo possessive postponuntur; ut *visendi tui caussa*, sive *gratia*, non autem contra, *caussa*, aut *gratia visendi tui*. Præpositiones item in suis comparativis formandis in *erius* terminant omnes, ut *post posterius*, *ultra ulterius*, *citra citerius*, *infra inferius*, una tantum, quæ est *prope*, facit *propius*. Quid hic dicemus aliud, nisi quia usus ita prorsus comprobasse videtur; ut superiora ad rationem, hæc ad usum referantur? Ac ut propius accedam, a *laudo* fit *laudabile*, ab *amo amabile*, cur non ita a *possum possibile*, atque *impossibile*? quia usus vetuit, quod ratione sequi par videbatur. *Beatus* item efficit *beatitudo*; *longus longitudo*: cur non *gratus gratitudo*, *ingratus ingratitudo*? quia aliud ratio est, aliud usus. Notavit Cicero ad hanc rationem *absentiam* non recte dici Latine, cum *præsentia* tamen sit Latinissimum. Item *referre gratiam* dicimus, & *relatio* vox Latina est. Sed non tamen dicimus *gratiæ relationem*, quemadmodum *gratiarum actionem* crebro usurpamus, quia sic usus, ut jam sæpius dictum est, comprobavit. Ac ne longius sim; possem enim tibi multa adducere in hanc sententiam; dico, *licentiam* semper habere aliquid aut mali, aut suspicionis ad malum. Postea, aliud est in sermone Latino loquendi ratio, aliud loquentium usus, ut si *licentia* cum Verbo *licere*, unde vox facta est, significatione non consentit, id usu, non ratione jampridem receptum est, quæ quidem licentia numquam in rebus honestis [ut disputatum est] admittitur. Hæc pauca nunc habes, Camille fili, fortasse etiam nonnulla alia, cum majus otium erit, in hanc rationem a Patre tuo habebis disputata.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

DE JUDICIO

AD ALOYSIUM ATESTIUM

Cardinalem Ampliſſimum

DIALOGUS,

In quo Sebaſtianus Delius, Marcus Antonius Flaminius, & Julius Camillus diſputantes inducuntur.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Aloyſio Ateſtio Cardinali Ampliſſimo S. P. D.

Cum in Beriguardo ampliſſima, ac Regia Villa Aloyſius Ateſtius Cardinalis cum aliquot doctiſſimis Viris ruſticaretur, accidit, ut ad aures ipſorum cujuſdam famuli hæc verba advolarent: *nullum habes Judicium*; ex quo factum narrat, ut ipſe Opus *De Judicio* inſcriptum, eidemque Cardinali dicatum confecerit.

Cum ſuperioribus diebus urbanos æſtus vitans, in Beriguardum ampliſſimam, ac Regiam Villam te contuliſſes, tecumque Fulvium Rangonium, Camillum Gualengium, Franciſcum Martellum, Benedictum Manzolium, ac Joannem Baptiſtam Cananium haud impolite literatos Viros duxiſſes; plane ſcis, cum nihil eorum, quæ ad animi recreationem, atque corporis refrigerationem pertinerent, eſſe omiſſum; qui meridianos illos Cœli ardores in ampliſſime Villæ porticibus mitigares; veſperi ve-

 ro

ro aut in amœnissimis hortis, aut ad umbrosissimas populos, quæ totam anteriorem Ædium partem convestiunt, sive sedens, sive lentius ambulans te te placide ageres; tum hoc jucundissimum otium nobilissimis sermonibus aut dedita opera inductis, aut fortuito, atque ex tempore oblatis conditum esse minime ignoras; quemadmodum postremo illo die, cujus ego postridie in Urbem redire sum coactus. Nam cum, jam sublatis mensis, superior sermo, quem ego postea ad ALPHONSUM Ducem Fratrem Tuum in Orationem conclusi, utrum præstaret, an Rex, qui bellum gereret, id per suum Imperatorem administrandum curaret; an ipse præsens adesset ad imperandum, *confectus esset, atque eo ventum esset, cum omnes tacerent: ecce tibi vox (credo ex tuis alicujus eam fuisse, qui tibi ad equum pedibus operam dant) ad aures nostras advolat: NULLUM HABES JUDICIUM. Tum Manzolius Martellum intuens: audi, Martelle, ut etiam homines infimæ conditionis de Judicio libere sentiant; quod adhuc multi, iique non imperiti Viri quid sit, aut unde oriatur, non satis habent exploratum. Tum ipse vocem ejus excipiens: ego quoque, Manzoli, non ut me in iis, quos valde peritos Viros esse dixisti, sciam esse connumerandum, sed qualis tamen ego sim, quodnam hoc sit Judicium, aut unde comparetur, nondum satis intellexi. Quare mihi quam gratissimum erit, si quod quisque vestrum de hoc sentiat, id me pla-*

nius

nius edocuerit. Ac quoniam Manzolius hoc in sermonem intulit, is, ut qui fortasse habet aliquid magis reconditum, primus in hanc arenam descendet. Tum modestissime, ut solet, Manzolius. Equidem, ut libere dicam, magis habeo quod libenter in hanc audiam sententiam, quam quod quisquam quicquam de me audire possit; ac quam ego Judicii difficultatem eo modo indicarim, id ita mihi casu tum succurrit; neque ejus piget. Nam quod ipse a me habere non potes; fortasse ego per te ab istis doctissimis Viris Fulvio, Gualengio, Martello, Cananio, Riccio auferre potero. Quibus dictis, in Fulvium, quasi illum invitans, oculos convertit. Tum Fulvius: neque ego me satis explico, ut quid hoc sit, libere dicam. Magis equidem sentio in quo hoc Judicium deesse video, quam, quamobrem id fiat, ut proferre sciam. Hunc postea Gualengius secutus est; qui interea quid diceret, animo secum volvebat; etsi hoc tantum evolverat, esse rem omnium nobilissimam, atque ideo ex sua nobilitate paucis esse communicatam, neque item propterea, quid esset, facile dici posse. Tertio in loco Cananius & ipse quædam attulit, minime ingrata; sed ipse quoque in quo sibi minime satisfaceret. Tum Martellus, ut homo est perbellus, partem suam in alium transferens, Riccium, inquit, hac de re scribere incepisse, videor de Fuschinio nostro audisse; is totam hanc quæstionem facile nobis absolvet. Tum ego: sensi, Martelle, inquam, quo

fugias; ſed id mihi magis dolet, quod tuo Riccio nimium tribuiſti, qui cum id præſtare non poſſit, certiſſimæ inſcitiæ ſuæ teſtimonium dabit, neque ipſe quoque, qui de illo ita ſenſeris, tuum judicium ſatis comprobabis. Equidem, Cardinalis Ampliſſime, ut Fuſchinius Martello retulit, jampridem de Judicio ſcribere incœpi, ſed vix caput inchoavi, ne dum totum corpus abſolverim, id quidem reliqui habeo in mente optime diſtinctum, ſed non, quod hic ex tempore, atque paucis, proferam. Dies enim (ut vides) properat, ut nocti concedat, & jam ſermonis ſatis eſſe poteſt, quod ſuperius eſt habitum. Quare ſi mihi conceſſeris, ut opus conficiam, atque poſtea aut illud deſcriptum ad te mittam, aut te in Urbe, cum ſe calor iſte fregerit, expectem, hocque tibi poſtea de ſcripto recitem, erit multo mihi commodius ad id, quod de eo ſentio, explicandum, & tibi, & cæteris planius ad intelligendum, cum omnibus in legendo in quaque parte, quæ minus probari videatur, conſiſtere, atque otioſius ponderare licebit. Id quod cum a te facile, atque de omnium etiam ſententia impetraſſem, ſurreximus, atque aliquot ſpatiis in ampliſſima porticu confectis, te in cubiculum conduximus, deinde quiſque in ſuum quietum diſceſſit. Ego vero poſtridie mane Ferrariam reverti ad uxorem graviter ægrotantem, quæ ut convaleſcere cœpit, nihil habui antiquius, quam ut de Judicio fidem meam tibi præſtarem. Opus itaque ſumpſi, neque

illud

illud prius de manibus depoſui, quam abſolute confecerim; abſolutum vero deſcripſerim, atque ad te poſtea miſerim; quam meam ſententiam, ut vides, Dialogo ſum complexus. Tres enim graviſſimas perſonas de eo acutiſſime diſputantes induxi; Sebaſtianum Delium, Marcum Antonium Flaminium, & Julium Camillum. In quo ſi tibi ſatisfecero, erit mihi quam gratiſſimum; ſi minus, neque id erit ingratum, quando videris, me omnia feciſſe, ne quid in eo a me deſiderares. Vale.

BAR-

BARTHOLOMÆI RICCII

DE JUDICIO

AD ALOYSIUM ATESTIUM

Cardinalem Amplissimum

DIALOGUS.

PEr eos dies, quibus ego Bononiæ apud Alexandrum Magiolium, Virum optimum, atque elegantioris literaturæ perstudiosum, de iis vero, qui in ea præstaret, optime meritum, familiariter agerem, una simul aderant Julius Camillus, Marcus Antonius Flaminius, ac Sebastianus Delius, Stephanum Saulium Roma expectantes, quicum postea Genuam proficiscerentur, ut apud eum in amœnissima ejus Villa totam æstatem illam in literarum otio, quasi Platonico instituto, transigerent; is paucos post dies venit. Cum vero eum quoque Magiolius aliquot dies retinuisset, pridie ejus diei, qui eorum discessum antecedebat, post prandium de Judicio præclare disputatum est. Nam cum superioribus diebus quidam sane bonus Vir, atque haud mediocris literaturæ, sed omnis prorsus Judicii, atque elegantioris scriptionis expers, Historiam de rebus gestis Sfortiorum Mediolanensium Principum a se conscriptam edidisset, ut Magiolius Atendulianus, qui unus reliquus erat ex ea Gente, quæ Cotiniolæ Atendulia fuit, factum rescivit, continuo ad Librarium, apud quem opus venale expositum erat, accurrit, atque omnia volumina, quanti quanti indicata sunt, emit, quæ postea, uno tantum sibi retento, quo doctissimis Viris factum suum, quoties opus esset, comprobaret, domi suæ comburi jussit. Forte enim, sublatis mensis, ejus facti mentio facta est, atque ita Magiolius librum afferri jussit, qui non sine omnium risu, [modo enim in hanc, modo in aliam partem, ut fit, volvebatur,] est lectus; contra vero Magiolii Judicium mire commendabatur, ut qui Alexandrum Magnum in Gentis

suæ

fuæ factis illustribus describendis optime imitatus esset, qui se nisi ab Apelle depingi, atque a Lysippo informari passus est; ita illum Majorum suorum res præclare gestas a nullo, quam a fœdo, atque inculto Scriptore, describi maluisse. Tum Magiolius. Mihi quidem ita visum est; quam meam sententiam vobis quoque comprobari, valde gaudeo. Sed qui ipsi, ridens inquit, scimus, an nostrum, an eorum, qui ita scribunt, probatius sit judicium? Nam si quæ plures commendant, ea probabiliora sunt, jampridem a nobis abjudicatum est, quando infinitis partibus ii plures sunt, quibus id scribendi genus placet, quam qui illud valde vituperant. Est quidem, Magioli, [tum Saulius] ubi plurium omnino, quam paucorum, plus valeat sententia, atque consensio; sed in hoc, de quo nunc nos agimus, Judicio, quam res est eximia, quæque suapte difficultate non solum non obtineri, sed ne cognosci quidem potest, quam rari ii sint, qui recte sentiant, omnes vident; quemadmodum in cæteris quoque præclaris rebus, quarum cognitio, atque perceptio paucis communicatur, evenire videmus. Quare etiam fit, ut ii postea Viri, qui ea sint consecuti, cæteris hominibus in pretio, atque in honore sint maximo. Tum Magiolius. Equidem scio, Sauli, ita esse, ac quo quid difficilius est ad acquirendum, eo etiam illius pauciores fieri compotes; sed ego vereor, ne isti pauci, qui cæteris judicio præstare se putant, falli possint. Nam ita res suapte natura obscura est, ut non satis vere deprehendi possit. Equidem quantum ad me, cujus nunc Judicium laudatis, fateor jampridem avere scire, quid hoc sit, aut unde comparetur, quod nos Judicium appellamus. Nam ut id mecum multum, ac diu cogitarim, nunquam tamen id quivi deprehendere, neque quæ de aliis audiverim, satis in iis mihi feci. Ad hæc Saulius. Facile Delius noster id nobis explicabit, qui mecum alias [si recte recordor] non imperite de eo disputavit. Tum Delius modestissime, ut cætera, recte quidem recordaris, Sauli; sed quod ego tum de Judicio tecum egi, satis tibi esse potuit, ne dum istis doctissimis Viris, atque etiam summo Judicio præditis, me meas ineptias ut ipse patefacerem, invitares; in quo etiam scio, te recordari, me mihi in mea illa sententia non magis satisfecisse, quam Magiolius noster se in sua

sibi

ſibi ſatisfacere dicit. Tum Magiolius. Nobis gratiſſimum [ut pro iſtis etiam dicam] feceris, Deli, ſi nobiſcum, quicquid illud ſit, quamquam haud dubito, quin tua ſumma eruditione, atque iſtis Auditoribus dignum ſit, nunc, cum ſatis commode facere potes, communicabis. Fortaſſe enim in quo ipſe quoque tibi te non ſatisfacere dicis, hodie cum horum quiſque, quid de hoc ipſo ſentiat, libere dixerit, ex diverſa omnium ſententia, quaſi ex multiplici judicio Judicium hoc deprehendetur. Tum Delius. Hac ratione faciam, Magioli, libenter, ſi quod mihi iſtorum nomine polliceris, aut ipſi poſtea fidem tuam, aut ipſe eorum vicem mihi fideliter præſtiteris. Tum Flaminius. Nihil eſſe arbitror, Deli, quod aut a me, aut a Magiolio noſtro tibi quicquam præſtandum ſit, qui rem, ut ſe habet, optime expreſſurus ſis; ſi quid tamen erit, in quo, ut fieri ſolet, ego a te diſſentiam, id libenter proferam. Credo, idem Julium Camillum amice facturum: id quod Julius Camillus de ſe quoque affirmavit. Utrum autem, tum Sebaſtianus, [cum ita vultis] hoc ego nunc paucis, atque compendioſe vobiſcum agam? Vereor enim, ne qui perendie diſceſſus noſter inſtat, quicquam quemquam noſtrum occupatum habeat; an magis, ut rei nobilitas poſtulat, paulo copioſius, atque etiam ut digna eſt, illuſtrius pertractem? Cui tum Saulius; de perfectionis ratione tota mea cura eſt. Nihil eſt, quod propior iſte diſceſſus tibi ullo impedimento ſit, quo minus rei dignitati cumulate ſatisfacias. Omnia enim, quæ ad illum pertinent, jam proviſa, & comparata ſunt. Recte Saulius, tum Magiolius. Quin ſi opus ſit etiam in quartum, atque in quintum diem, & quotquot opus ſit alios, eum vobis proferre licet. Qui tamen dies ſi veſtro deſiderio quicquam obſtat, fingite vobis Cœli cauſſam aliquam hunc mihi, atque huic præclaræ Diſputationi condonaſſe. Quare quicquid habes de Judicio, cum qua majore dicendi copia, tum etiam argumentorum abundantia facere poteris, nobis explicabis. In qua Diſputatione cum Flaminius, ac Julius Camillus quid & ipſi ſentiant, in medium protulerint, quod mihi per meas occupationes, ac rei familiaris curam, ut vobiſcum & diſcedam, & in iſto honeſtiſſimo otio, quod vobis conſtituiſtis, vivam, non licet; hoc ſaltem mea fortuna mihi conceſſiſſe videri

deri

deri poterit, ut ex meis laribus vestrarum Disputationum, cui ego quoque interessem, quasi initium sumpsissetis. His paucis hoc modo vicissim peractis, atque jam omnibus tacentibus, tum Sebastianus sentiens, se expectari, ut promissum præstaret, sic exorsus est. Natura comparatum esse videtur, ut, quæ in rebus humanis minus egregia habeantur, ea passim omnibus hominibus obvia, atque quam notissima occurrant; quæ vero nobilissima, quæque hominem ab homine distinguunt, ea in longe abditis, atque abstrusis locis recondantur; ut in herbarum, lapidum, metallorum, cæterarumque rerum virtute facile cernitur; quarum quicquid nobilius est, id aut rarum genuit, aut ab hominum cognitione longius amovit. Qua ratione fit, ut ejus beneficio, atque usu difficilius utamur. Id quod multo magis in iis bonis, quæ animi bona dicimus, deprehenditur, quę quo præstantiora sunt, eo etiam comparatu sunt difficiliora; ut in omnibus virtutibus comprobatur, quibus qui præditi fuerint, pauci admodum sunt reperti. Idem in rerum cognitione, atque occultis earum scientiis fieri videmus, in quibus comparandis summum studium, atque diuturnus usus peropus est, cum neque tamen in illis perfecte proficiatur. In quarum præstantissimarum rerum numero cum unum Judicium homini datum sit, si, aut quid id sit, non facile scitur; aut non ejus quisque sit compos; nihil admodum cuiquam mirum videri debeat, atque eo minus, quo illud cæteris ingenii partibus longe præstare constat; ut si nos quoque, qui de eo hodie dicturi sumus, id, quod conamur, minus assequemur, non tam damnandi simus, quod rem tantam pertractare ausi, quam fortasse laudandi, quod tantam difficultatem, ut vobis obsequeremur, nihil simus veriti. Sed cum tria sint, Prudentia, Consilium, Judicium, quæ ita inter se sunt affinia, ut aliud pro alio sæpius usurpetur, si, quæ duorum aliorum communia sunt, cum Judicio, [quod non semel faciendum est] communicaro, nulli mihi vitio verti debebit. Ego igitur hoc Judicium [ut jam rem aggrediar] ex rerum cognitione, atque earum usu nasci dico; quod statim ex ejus definitione comprobatur. Ita enim definitur, ut Judicium sit agendarum, & cognoscendarum rerum ad suum rectum finem prævidendum absoluta cognitio; ad cujus rationem

qui

qui suas actiones constituet, numquam a proposito aberrabit. Ex cujus definitione continuo, quod dicebam, ex perfecta rerum cognitione, atque earum ipsarum exercitatione Judicium nasci constat. Quam sententiam illi sequi videntur, qui *Pediam*, quod apud Græcos idem est, quod apud nos *Judicium*, in Latinum *Peritiam* convertunt; ut non solum Judicium ex rerum cognitione oriatur, sed pro ipsa cognitione apud Græcos quasi accipi posse videatur. Præterea vero si solus Sapiens recte judicat; Sapiens autem ideo appellatur, quia rerum omnium scientiam optime calleat: contra insipiens, hoc est, rerum omnium ignarus, imprudenter videt, nonne ille ab ea rerum cognitione, quam optime tenet, recte sentiet? hic vero ab earum ignoratione, qua plenus est, toto, quod dicitur, errabit Cœlo? Deinde, si una rerum cognitio omnium rectarum actionum est magistra; hæc enim quid agendum sit, quid non, aut quando, quoque in loco, quibuscum, ac quoad decet, ut hæc quoque Judicium, quod in hominum actionibus haud postremum locum obtineat, doceat, oportet. Postremo si contrariorum par est ratio, ut rerum ignoratio omnis Judicii est expers, ita contra, qui earum cum usum, tum etiam experientiam optime noverit, is rectissime ut de iis judicet, necesse est. Quare etiam Aristoteles gravissimus Auctor dicebat, quæ quisque novit, is de iis vere judicat, eorumque sanus est Judex. Unam igitur quamque rem bene judicat, qui ejus peritus est; absolute autem omnia, qui omnium peritus est. Ut rationibus, atque auctoritate constet, Judicium omnino ex rerum cognitione proficisci. Quis enim [vos quæso] Judex in suis Judiciis exercendis, nisi quæ caussam faciant, atque in iis, quæ potiora sint, sua prudentia discusserit, unquam ad veritatem sententiam feret? De quo Judicii genere nihil necesse est plura dicere, quando hoc tantum argumentis, atque testimoniis niti omnibus constat. Quid vero Medicus, cujus officium est curare ad sanitatem, finis autem sanare, nonne primum ex morborum cognitione, deinde ex assidua eorum curatione, judicandarum ægritudinum rationem ut ante perceptam habeat, quam ægroto quicquam remedii adhibeat, nisi illum perdere voluerit, necesse est? Memoriæ proditum est, sutorem quemdam [quid enim vilius?] in Apellis figura calceamen-

menti fibulam optime correxisse. Id quod non aliunde, quam ex ea scientia, atque usu, quem in calceamentis consuendis habebat, effecit. Quare etiam illi Apelles credidit, suumque mendum correxit; non autem ita, cum hic item extra artem suam in eadem figura nescio quid aliud damnasset: unde illud postea in vulgus emanavit: *Sutor non ultra crepidam*. Qui primus Gratias eo modo, quo passim videntur, effinxit, ut una spectanti aversa, duæ reliquæ adversæ ponerentur, id spectavit, quod audierat, homines duplo in referenda, quam in ineunda gratia, debere esse largiores. Recte ille quoque, mea quidem sententia, judicavit, qui rerum omnium Naturam matrem, mulierem effinxit uberibus plenam, ut qui, quam sciret cuncta procreasse, eamdem suis alimentis illa ipsa nutrire significaret. Ita de cæteris ejus generis dicendum est. Paulus Æmilius in uxoris suæ culpa tegenda summo consilio fuit, cum per calceamenti cæcum dolorem uxoris repudium significavit; quia sciebat, si eam patefecisset, duarum filiarum, quas ex ea natu grandiores habebat, Nuptiis sese turpiter obfuturum. Neque ille de ducenda uxore imprudenter amico consulebat, cum ei suadebat, ne maxime deformem, neve formosissimam illam duceret. Alteram enim numquam vere amaret, alterius vero zelotypia semper acriter solicitaretur, quoniam rei naturam pernoverat, quæ est, ut omnes, quæ pulchra sunt, valde ament, atque magnopere appetant; quare etiam fit, ut possessori ab eorum insidiis sit maxime metuendum; deformia vero etiam suis odio esse solere. Scipio Africanus præcipiebat, nisi res cogeret, aut victoria haberetur exploratissima, collatis signis non esse cum hoste confligendum, idque recte ex fortunæ inconstantia, quam in multis suis, atque alienis rebus optime noverat. Alexander Magnus cum sæpe alias, tum præclare sensit, cum se nisi ab Apelle pingi, atque a Lysippo informari passus est; quia res magnas tantum magnis Viris recte committi prudenter noverat. Judicium isti Astrologi sententiam suam de inæqualibus anni temporibus, de pluviis, de messe, de hominum morbis, separatim etiam de Principum tum lætis, tum adversis rebus venturis, sua quadam vocis vendicatione appellant. Quæro ego, unde eam isti quasi præsensionem sibi conficiant, nisi ex rerum Cœlestium, unde hæc fiunt, cogni-

tio-

tione, & ſcientia, quarum ipſi minime ignari ſint? Pictor, atque Statuarius, qui ille de figuris, hic de ſignis vere judicare poterit, niſi ſuam quiſque prius artem & probe didicerit, & diu in ea verſatus erit? Neque Magiolius noſter [ut ad noſtros redeam] cujus egregium factum modo omnes tantopere commendamus, niſi ex ſuis optimis ſtudiis, quæ virtus eloquentiæ, quæ contra infantiæ indignitas eſſet, atque Sfortiorum ſuorum illuſtria facta, quæ a tam infanti homine ſcriberentur, prorſus indigna eſſe, certiſſimam cognitionem habuiſſet, numquam tam præclare in iſtum egiſſet. Ex ea enim multiplici cognitione facile judicavit, iniquum eſſe, ſi illa inculta, atque rudis ſcriptio in elegantiſſimorum hominum manus exiſſet. Quis præterea de Oratore vere judicabit, niſi qui, quæ ad eum perfecte abſolvendum, omnia ante prudenter noverit? ex quibus poſtea, quid is in dicendo valeat, judicet? ut quid ad exordium, ad narrationem, ad diviſionem, & ad reliquas Orationis partes pertineat; quibus item doceatur, quibus delectatio afferatur, quibus perſuadeatur, qui verborum delectus, quæ ſententiarum gravitas, quid ſit ornatus, quid numerus, quid figuræ, quando amplificandum, quando contra extenuandum, uti humilia demiſſe, grandia elate, quæ inter hæc utraque, mediocriter tractentur, qua denique actione, quaque dignitate, quo decoro hæc, & reliqua multa agantur, prius non cognitum habebit? Judicavit Cicero de omnibus Oratoribus in Bruto. Qui id tam egregie facere potuiſſet, qui ſingulis ſingulas cum virtutes, tum vitia tam copioſe, tam judicioſe tribuit, niſi totam illam artem, niſi multiplex illud dicendi ſtudium non ſolum pernoviſſet, ſed aliis etiam multis modis ore, atque ſcriptis ejus præcepta tradidiſſet? Idem de Poeta dici poteſt, de quo ille tantum judicium fecerit, qui ejus virtutes calluerit. Maro prius omnes Scriptores Latinos, & Græcos diligenter verſavit, eorum vero cognitionem Judicium ſecutum eſt, cum ex omnibus, quæ in ſuum opus conferret, optima delegit; ſed neque majus ejus Judicium fuit in deligendo, in quo multa rejecit, multa neglexit, quæ pari ratione mutuari potuiſſet, quam etiam apte, & ſuo loco in ſuo opere ea omnia collocavit, ut interdum dubitari poſſit, utrum unde ſumpta ſunt, an apud hunc, aptius collocata ſint. Pari item ratione de Hiſtoria affirmari

mari potest, in qua, qui egregie versabitur, is ante, quæ ejus propria sunt, ut notissima habeat, oportebit. Primum ut uni veritati deserviat, a mendacio prorsus abhorreat; deinde ut suo rem ordine, ut gesta est, narret, atque ita, ut ante oculos eam ponere videatur, hæc autem erit cum in locorum, tum actionum descriptionibus; neque etiam ut res gesta erit, sed ut melius quoque geri potuisset; postea quæ Imperatoris consilia probarentur, quæ contra; quod fortunæ, quod prudentiæ fuisset, utrique ut suum daret; neque minuta singula interjecerit, sed magna, atque hominum memoria digna; quo postremo dicendi genere eam tractet, leni scilicet, lucido, brevi, ac fluenti. Sallustius, qui Africanam Historiam scripsit, ut eam fideliter, hoc est, cum Judicio scriberet, fertur in Africam transmisisse, atque ea loca omnia, quæ ad Historiam suam pertinebant, diligenter animadvertisse; quæ Historia temporum iniquitate desideratur; non autem ut hic noster, qui omnia conturbarat, falsa veris immiscuerat, eo vero stylo rem totam conspurcarat, ut ad ejus purgationem tantum unum ignis, quod factum est, remedium adhiberi posset. Plautus denique & Terentius duo reliqui sunt ex Latinis Comicis, hi tam dictione, atque natura, quam etiam ætate diversi sunt. Plautus enim scurrilitatem quasi de industria sectatur; Terentius autem ingenue, atque cum summa gravitate agit. Quis horum naturam, si in Judicium veniat, discreverit, nisi, qui sales urbanos, qui scurriles, qui ingenuitatem, qui severitatem pernorit? ut ubique constet, ita Judicium rei cognitione niti, ut suis radicibus arbores nituntur. Sed ut recte de iis judicabitur, de quibus certa cognitio haberi poterit; ita contra nullum de illis Judicium erit, quæ sub humanam cognitionem non cadunt. Nam quæ res certa sui cognitione carent, de illis quoque nullum certum Judicium fieri potest, ut quæ fortuito eveniunt. Quare casus, & fortuna huic nostro Judicio non sunt subjecta, neque etiam in quibus hæc duo dominantur; quo fit, ut difficile judicari possit, quid nobis in bello, in quo maxime dominatur, profuturum, quid contra hosti obfuturum sit. Certe in metandis castris, in acie instruenda, in opportunis locis occupandis, & in cæteris ejus generis, facile prudens Imperator sibi providebit;

 ve-

verum in ipso conflictu, in quo rei summa est posita, atque una fortuna dominatur, difficilem habet judicationem. Ita qui aliqua animi perturbatione affecti sint, qua tantum abest, ut quid in ea re, quam agunt, venturum sit, ut etiam, quæ adsunt præsentia, non discernant; nihil enim ab ignorantia animi perturbatio distare videtur. Quare etiam in propria caussa nullum fidelem Judicem esse posse vulgo usurpatur. Itaque parentes in suis liberis, amatores in suis amicis laudandis, ea etiam in illis interdum extollunt, quæ propius ad deformitatem, quam ad pulchritudinis speciem accedunt; ut ille, qui nævum puero suo venustatem non parvam addere dicebat. Contra vero qui quem odio habuerit, nunquam cum eo, aut cum ejus rebus sano agere poterit Judicio. Ita in iracundia, quæ suapte natura consilio inimica est; ita in spe; ita in metu. Qui enim avide cupit, nihil ad id assequendum videbit; qui metuit, totum in fuga animum habebit occupatum. Res igitur, de qua Judicium est futurum, ejus generis ut sit, necesse est, quæ cum cognosci, tum etiam usu exerceri possit; is vero, qui utrunque faciat ad Judicium, omni animi perturbatione vacuus esse debebit. Hæc autem rerum cognitio, atque animadversio [ne huc ego omnes, quas circumstantias dicunt, revocem] in his tribus maxime servabitur, si loci, si temporis, si personæ diligens ratio in agendo adhibebitur, a qua tripartita considerandi ratione Clitipho adolescens Terentianus non discedit, cum veretur, ne, se absente, amica sua corrupta sit, atque alio omnem amorem suum transtulerit. Ejus autem verba [si recte recordor] hæc sunt.

Sed vereor, ne, me absente, mulier hic corrupta sit.
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant.
Locus, occasio, ætas, mater, cujus sub imperio est, mala.
Cui nihil jam, præter pretium, dulce est.

Quibus rationibus recte adolescens ita de amica suspicari poterat. Quintus vero frater cum agit cum Cicerone fratre de ejus Consulatus petitione, hanc quoque animadversionem majori ex parte servavit. Primum enim ut in qua Civitate esset; deinde quid peteret; postremo quis is esset, ut etiam atque etiam diligenter consideraret, eum admonet. Sed nos de singulis, ut est propositum, expli-

ca-

catius agamus. In loci igitur ratione consideranda multum studii, atque diligentiæ ponere debemus. Nam, qui aut villas in agro, aut ædes in Urbe sit ædificaturus, nisi eas in saluberrimo, atque commodo loco ædificabit, Judicio carere judicabitur; quin etiam in iis ipsis ædibus quæ loca sunt turpia, sed ad usum tamen hominum necessaria, nisi ea in suis locis abdiderit, malus ædium architectus habebitur. Multo vero illi inconsultiores, ac sine ullo Judicio esse videbuntur, qui aut in foro, aut in publico, quæ domi, quæ in privato, sive cum liberis, sive etiam cum naturæ operam damus, facere audebunt. In sacro autem non sine scelere fient profana. Præterea vero quis nescit, alio modo in Urbe, alio ruri, alio in Patria, alio cum peregre sunt, se se homines gerere? neque unum esse omnino agendi Judicium? & quo apud cognitos, & quo apud nostri ignaros utimur, ut Æneæ licuerit se apud alienos pium appellare, apud suos non ita. Sequitur secundo in loco temporis ratio, in qua summi Judicii summa vis est sita. Videndum igitur erit, ut quid quis agat, id suo certo tempore semper agat: aut si id alieno omnino, habeat tamen, qui Judicium nihil offendat. Quare solent, qui aliquid petunt, in primis petitioni suæ tempus observare per quam accommodatum. Itaque Æneas Didonem aditurus, se palam suis dicebat tentaturum aditus, & quæ mollissima fandi tempora, quis rebus dexter modus, & quæ sequuntur. Hinc illa vulgo, opportune, in ipso tempore, per tempus advenis; item cum tempus venerit; ita idoneo, ac suo tempore aliquid fieri; ita e contrario, alieno, alienissimo, non suo tempore rem aliquam geri. Quæ præterea tam vecors, tamque petulans mulier [de nostris loquor] inventa est, quæ in mariti funere se sic ornarit, quemadmodum si se eandem in ejus nuptiis compsisset? In hujus ratione Leonardo Lauredano Venetiarum Principi summa difficultas aliquando oblata est, ut eodem tempore, eodem in loco, eadem de re, sed cum diversis personis & doleret, & lætaretur. Nam cum Rex Galliæ cum Cæsare conflixisset, victoriamque Cæsariani reportassent, uterque eorum Legati in Senatum de more accedunt, ille suam victoriam illi gratulatur; alter contra suam fortunam conqueritur. Tum prudentissimus senex his æque verbis utrunque accepit:

cum lætantibus, inquit, ad victorem conversus, lætamur; deinde ad victum se convertens, cum mœrore affectis, mœremus. Occasio, quam eamdem opportunitatem appellant, in tempore maxime sita est. Siquidem ea est temporis pars, quæ alicujus rei vel faciendæ, vel non faciendæ, facultatem ex tempore præstat; hanc qui non amiserit, quique oblatam arripuerit, is sano, & recto uti Judicio existimabitur. Si Trojani, quo tempore Helena a marito repetebatur, eam illi reddendam curassent, multo rectius vidissent, quam id se ad exactum bellum, atque ad inclinatam in Græcos fortunam facturos pollicerentur. Unde Proverbio locus est datus: *Sero sapiunt Phryges*. Claudius contra Nero non solum hanc occasionem non omisit, sed longe etiam illi obviam properans occurrit. Hic enim Consul adversus Annibalem in Apulia bellum gerebat; cum autem a Consule altero certior fieret, Asdrubalem Annibalis fratrem cum magno exercitu Alpes transisse, neque se, neque L. Portium Prætorem suis copiis obsistere posse, quo se minus cum fratre conjungat; quod si casus ferat, rem Romanam esse conclamatam; hoc nuntio accepto, consilium ipso in tempore capit Nero, ut clam utroque Pœno cum magna, ac meliori suarum copiarum parte ex castris suis ad Livium in Hetruriam advolet, atque ita, conduplicatis copiis continuo collatis signis cum Asdrubale, manum conserat; ratus multo facilius Pœnum disclusum superari, quam conjunctum sustineri posse. Quod suum consilium non pœne ille prius re ipsa, quam fortuna felici eventu comprobavit. Sic enim cum Asdrubale pugnatum est, ut ejus caput Annibali paucos post dies in pugna Nero objiceret. In magnum omnino Rempublicam Nero, cum castra deseruit, induxit periculum; verum quoniam temporis occasio urgebat, non tam ejus eventus saluberrimus extitit, quam Judicium est maxime commendatum. Sed ad tempus redeo. Hujus autem tanta vis est interdum in rebus agendis, ut quæ suapte natura sunt honestissima, nisi hujus ratio habeatur, turpissima fiant. Fides vel hosti præstanda est; furioso tamen, cui sano ensem promiseris, non recte dabis. Si quis item pecuniam apud te deposuisset, eam reposcenti omnes Leges, ut reddas, cogunt; sin autem eo tempore, quo Patriæ tuæ bellum inferret, eam repetat,

nulla

nulla Lex te prohibebit, quin eam in aliud tempus differas reddendam. Tertio vero in loco personæ ratio posita est. In hac autem ea considerantur, sexus, ætas, conditio, genus. Alio enim modo cum fœmina, alio cum viro, cum puero alio, alio cum natu grandiori agendum est omnino. Alia item illi agendi ratio, qui publicus; alia, qui privatus; Religiosus alia; alia, qui nulla Religione sit adstrictus, convenire videtur; ita & in cæteris. Quare in primis ille recte & prudenter videt, qui fœminas domi rem curare familiarem, virum foris cum familiari publicam gerere, primum instituit. Neque enim hæ satis commode aut cum uterum gerunt, aut infantes uberibus alunt, Legationes obirent; longissimas vias per dispositos equos quasi devorarent; montium difficultatem superarent; bellum gererent; neque in Urbe privata ad usum familiæ satis procurarent; aut foris amicis præsto essent; aut in agro assiduum opus agerent, ararent, foderent, messem conficerent. Cætera sunt infinita, quæ isti generi sunt provisa; idque in primis, ut ab omni injuria, vel si ea summa hominem affecerint, maxime sint liberæ. Nimis enim vile est, in fœminam irasci, atque manus armare. Ut equidem verear, an Horatii manus ex sororis sanguine se se magis contaminarint, quam in tribus fratribus Curiatiis fortissime cæsis se se cohonestarint. Neque enim tam sororicidii Judicio exercitus est ad Judices, quam etiam pravi, ac temerarii Judicii a cæteris est damnatus; qui si fœminam eos questus edere [ut illi Sponsi nomen condonem] animadvertisset; ac quam prudentiam, atque Judicium in pugnando paulo ante demonstraverat, tam subito, tam inconsulte non deseruisset, nunquam salutem suam in id discriminis adduxisset, & sororem habuisset, cui secundas Nuptias felicius conciliaret. In senem vero & ingenio, & viribus confectum quis sæviat, nisi furens? In puerum, atque adeo infantem in cunis vagientem, ut in quem adversus se arma contulisset, quis ferrum convertat, nisi furia? Cuique videlicet ætati suum quid proprium est condonandum. Adolescens ex amore insanit: is ejus est furor ætatis. Id si seni [ut fit interdum] accidat, ille magis delirare, quam amare, reque vera, non autem ex amore, insanire judicabitur. Cætera autem, cujusque ætatis

quæ ſint propria, tam plane, quam etiam breviter perſequitur Horatius, cum ait:

Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

Videtis, quam brevi, quamque plene pueritiæ naturam expreſſerit. Jam, quæ ſequitur ætas, videamus.

Imberbis juvenis tandem, cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprico gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper;
Utilium tardus proviſor, & prodigus æris;
Sublimis, cupiduſque & amata relinquere pernix.

Mirus ubique & Divinus Poeta. Sed jam tertia ætas accedat.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat;
Dilator, ſpe longus, iners, aviduſque futuri;
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Nullus Apellis tam doctus penicillus in aliquo certiſſimis coloribus effingendo fuit, quam Horatii ſtylus, atque facilitas in his naturis extitit exprimendis. Hæc autem Horatius de ætatum naturis; ad quarum rationem & qui in iis conſtituti ſunt, & qui cum iis agent, agere debebunt, ſi cum Judicio agant. Nos vero ad perſonæ rationem redeamus. Eſt apud Terentium adoleſcens Clitipho, qui graviter de parentibus conqueritur, qui hanc ætatis rationem in ſuis filiis cenſendis nullam adhibent. Ejus verba hæc ſunt:

Quam iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes Judices,
Qui æquum eſſe cenſent, nos jam a pueris illico naſci ſenes,
Neque illarum affines rerum eſſe, quas fert adoleſcentia.
Et ſua libidine moderantur, quæ nunc eſt, non quæ olim fuit.
Mihi ſi umquam filius erit, næ ille facili me utetur patre.
Nam & cognoſcendi, & ignoſcendi dabitur peccati locus.

Certe una cum ætate prudentia accreſcit ſimul, nec niſi multorum annorum ſapiunt homines, fiuntque ad recte vi-

vitam agendam prudentiores. Sed æquior Judex eſt in Æſchinum Mitio, cujus hæc verba ſunt in fratrem Demeam, filium graviſſime inſectantem:

Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare; non eſt, neque fores
Effringere. Hæc ſi neque ego, neque tu fecimus,
Non ſivit egeſtas facere nos. Nunc tibi
Id laudi ducis, quod tu feciſti inopia.
Injurium eſt. Nam ſi eſſet, unde id fieret,
Faceremus. Et tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet,
Potius, quam ubi te expectatum ejeciſſet foras,
Alieniori ætate poſt faceret tamen.

Multo mea ſententia Mitio rectius, quam Demea, ſentit, idque ex ætatis ratione; non recte tamen feciſſet, ſi hæc præſenti filio dixiſſet, ne iſthac nimia indulgentia licentioſior fieret, atque ætati pejus obſequeretur. Hac ætatis ratione Julia Octavii filia ſe defendere videbatur. Nam cum forte ludi gladiatorii ſpectarentur, aderat Livia honeſto hominum genere comitata: non longe item ab ea ſpectabat Julia inter ſuos adoleſcentes petulanter laſciviens. In harum utramque ut oculos conjecit Auguſtus, atque ad exemplum ambarum comitatum exiſtimavit; arrepto ſtylo, in codicillis Juliam ad hunc modum commonefecit. *Vide, filia, quid inter tuum, & Liviæ comitatum differat.* Parentis aculeum ſenſit Julia, neque inepta cauſſæ ſuæ defuit. Iiſdem enim in codicillis in hunc ad eum modum reſcripſit. *Et hi mecum, pater, ſenes fient.* Rejecit in ætatem, quod ſibi vitio a patre dari ſenſerat; ſe ſcilicet cum æqualibus ſuis verſari, ut Livia cum ſuis. Jam vero quanta regula ſit ad recte ſentiendum, atque agendum ex ejus rei, de qua agatur, conditione perſpecta, videndum reſtat. Nunc ergo ſeparatim a ſexu, atque ab ætate perſonæ conditionem appello reliquam, qua homines inter ſe multis aliis rebus differunt. Neque enim arbitror, quemquam fugere, honeſto loco natum illi, qui obſcuriſſimos parentes referat, jure optimo anteferri; publicum privato præſtare; bellicam gloriam, & literarum ſtudia cæteris artibus facillime præferri. Quis præterea neſcit, alio modo cum propinquis, alio cum alienis, alio cum amicis, alio cum quibus inimicitias gerimus, eſſe agendum? ut cum de his aut ſeparatim

agitur, aut comparatio fit inter hos, res plane secum afferat, quid homo cuique pro ejus conditionis ratione tribuere debeat, quid non? Neque Cicero recte vidisset, si aut amicitiæ laudem ei homini, qui nullum hominem in vita amicum habuisset, aut senectutis defensionem admodum dedisset adolescenti, quo nihil utroque magis imperite, nihilque ineptius fieri potuisset. Contra vero quoniam maxime personæ conditionem rei aptam sequutus est, recte, & cum Judicio fecisse probatur. Sed quoniam in quaque facultate sui cuique sunt certissimi gradus; non enim omnes Imperatores summa sunt laude cumulandi, neque Castellani triumphi cum Provincialibus sunt conferendi; quin etiam minutis Imperatoribus egregius Orator; rabulis, atque infantibus caussidicis pictor eximius præferendus est. Quare quo quisque in gradus loco constitutus sit, ei plurimum in judicando considerandum erit. Julia Octavii filia, de qua paulo ante meminimus, cum Regio ornatu quodam die ad patrem accessisset, neque se in eo satis illi probasse animadvertisset, postridie multo modestiore, ac mundiore eum adivit; quam pater, simul ut vidit, *quanto*, inquit, *filia*, *hodie comptior es*, *quam eras heri*? Cui statim argute, ut solebat, respondit: *Viro heri; parenti hodie me*, *pater*, *ornasse scito*. Quo dicto luxuriam suam correxit, vestitum suum ad mariti rationem accommodans. Ob hanc eandem vestitus profusam luxuriam cum accusaretur, præsertim cum ejus pater Octavius modestissime vestiret, respondebat; patrem suum nescire, quam personam gereret; se certo scire Cæsaris esse filiam. Magna quidem vox, amplissimoque Viro digna, qui Cæsaris egregia facta magis æmularetur, quam petulantissimæ, ac procacissimæ fœminæ, quæ turpitudinem suam iniquissime tueretur. Neque hanc personæ conditionem egregius pictor non videbit. Fecerat Timanthes Iphigeniam mactandam. In cæteris, qui aderant, virgini propinquis continuo omnem mœstitiam consumpserat; cum vero ad Menelaum parentem venisset, nec quicquam esset reliqui, quod adderet ad majorem, ac patre dignum mœrorem exprimendum; perbellum consilium commentus, parentis vultum velo contexit. Tam divinus Apelles Judicio, quam felix fuit penicillo. Qui autem hoc non vidisset, satis hic quidem habuisset, si æque omnibus unum mœro-

ro-

rorem affinxisset. At minime recte vidit Apelles. Debuit enim initio cujusque pro personæ ratione mœstitiam effingere, non autem parentis in patruo exprimere. At in ea mirificus fuit; qui cum quod cæteri fecissent, optime vidisset, ad illud tamen optimum Judicium aliud melius adjunxit. Quantum autem Scriptor in personæ ratione servanda prudens esse debeat, nihil attinet disputare, cum præceptum sit, multum interesse, *Davus loquatur, an Heros*. Neque Ajax sedatum hominem, contra vero Ulysses iracundum imitabitur; neque Mesentius Deorum reverentior, Medea vero magis in repudio pia mater, quam amoris impatiens, inducetur. Id quod Maro prudentissime efficit in omnibus personis; verum in uno Ænea etiam prudentius. Nam cum est apud Didonem, in vestitu ejus mollitiem notavit dicens:

Æneam fundantem arces, & tecta novantem
Conspicit, atque illi stellatus jaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna
Demissa ex humeris, dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

Amatorem, atque uxorium Virum melius induere non poterat. Non autem ita cum hunc eundem Trojæ suprema illa nocte armat; non item cum in deserta Lybia expositus est. Nisi hunc quoque ea ratione excusemus, qui apud alienos domo pulsus, mari ejectus, eorum, apud quos detentus esset, morem agendo sequeretur; contra vero timidos, atque imbelles homines etiam in bello, cum vestitu egregio, tum fulgentibus armis solet armare, quemadmodum illum:

Stabat in egregiis Arcentis filius armis
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.

Ita etiam de Antonio:

Hinc ope barbarica variis Antonius armis,

& quæ sequuntur. Habet tamen interdum ubi aptissime a sese discedat. Nam & a persona, quam ipsi gerimus, aut quacum agimus, ut aliquando discedamus, recte permitti videtur. Agesilaus Rex cum, in privato deambulans, Legatis responderet, ecce tibi ejus filius puer longa arundine per conclavia, puerorum more, exequitans. Hic cum ad patrem Regem accessisset, arundinem illi alteram obtulit, eamque quasi conscendere, ac se equitando imitati coegit. Quod facilis pater ut ei concessit, ac se eo mo-

modo brevi egisset, ad Legatos conversus, cum liberos, inquit, habebitis, tum hoc factum meum mirari vobis licebit. Idem Laurentio Medicio [ut nos dicimus, ut alii Medices] evenisse ferunt. Hic enim Florentini Senatus Princeps, atque in ea Civitate Regia auctoritate præditus, cum, Senatu ad vesperum dimisso, magna Senatorum manu comitatus in forum descendisset, forte fit ei cum pædagogo suo filius puer obviam, qui avenæ stipulam [id enim erat anni tempus] ex qua sibi tibiolam conficeret, in manu gestabat. Ut patrem vidit, continuo eum rogat, ut ex ejus avenæ calamo tibiam sibi conficiat. Pater, ut erat urbanus Princeps, arrepto gladiolo, eam illi confectam in manum dat, eumque exosculatum dimisit. Quod factum suum perfacete cum suis Collegis ad hunc modum postea excusavit. Percommode nobis accidit, inquit, Collegæ, quod tibiam quoque inflare non jussit: nam id quoque hic faciendum fuisset. Tanta vis interdum est hujusce conditionis, ut summa utilitas, quæ in omnibus rebus maxime valet, in publicis autem sola spectatur, quoniam ab impurissimo homine veniret, contempta sit. Lacedæmone aliquando in Senatu a quodam Cive, qui ab universo populo pessime audiebat, ea sententia est dicta, quæ magis e Repub. esse non poterat; sed ejus sanctissimus Senatus usque eo honestatem coluit, ut eam dissimularit; postridie vero curavit, ut eadem, sed a probatissimo Viro referretur; quo facto, ab omnibus in eam itum est sententiam. Sed hodie dicendi finem non faciam, si quæ ad hujus generis conditionem pertinent, omnia persequi voluero. Quare ad id, quod initio proposueram, redeo, atque meam sententiam ita concludo; ut, qui recte judicare voluerit, is ejus rei, de qua Judicium sit facturus, omnem cognitionem optime teneat, atque in ea æque exercitatus sit, oportere. Hæc vero quoniam plerumque in loci, temporis, personæ, atque etiam cæterarum rerum conditione versantur, harum quoque minime imperitus esse debebit. Qui igitur his ita a doctrina, atque usu instructus erit, is, mea quidem sententia, in judicando numquam falletur. Cum autem Delius dicendi finem fecisset, atque etiamdum omnes tacerent, tum Magiolius. Erudite quidem, atque copiose Delius, quantum ad suum artificiosum Judicium attinet, peregit; sed hæc

mini-

minime mihi nova accidere. Nam cum ego quoque hæc eadem mecum fæpius pervolverem, atque in hanc ipfam Delii fententiam traherer, cum contra poftea multos eruditiffimos Viros nullo prorfus effe Judicio; contra vero, qui parum admodum fcirent, & acute videre, & prudenter judicare viderem non raro, fententiam mutabam, neque mecum conftabam; ac nifi hodie me hoc dubio explicem, nufquam alias fperem explicaturum. Quare quid de hac ipfa re Flaminius dicat, avide expecto. Tum Flaminius. Recte mea quoque fententia, Magioli, Delius nofter erudite, [ut tu dixifti] atque accurate de Judicio difputavit; cum, illud ex cognitione, atque ufu rerum nafci, comprobare conaretur; ego tamen ab eo multum diffentio, quam meam fententiam [ut vobis initio promiferam] ut nunc aperiam, fidemque meam liberem, tempus poftulare videtur. Quare, ne vobis, ac mihi ipfi defim, id exequi exordiar. Vix hæc ultima protulerat Flaminius, reliqua perfecuturus, cum ecce tibi Romulus Amafejus, ac Lazarus Bonamicius, qui Saulium in hoc ejus difceffu vifum accefferant, in triclinium ingrediuntur. Quibus omnes continuo affurgimus, eofque læto vultu, lætioribus etiam verbis accipimus. Quo perfecto, iterum omnes confedimus. Ac ftatim, ut fit, qui noftri fermones effent, percontantur. Tum Magiolius: Amafei, tuque Bonamici, opportune acceffiftis. Quid? tum Amafejus, inquit. Paulo ante, [fequitur Magiolius] quam vos adveniretis, Delius nofter de Judicio præclare difputavit, cujus fententia fuit, ut id ex rerum cognitione, atque ufu nafceretur; nunc vero Flaminius, qui ab eo diffentire videtur, in quo id faceret, erat difputaturus; atque cum vos acceffiftis, id facere incipiebat. Tum Bonamicius: opportune, Romule, acceffimus. Nam cum Delio ego ex Ariftotele idem fentio, qui in primo Ethicorum [nifi fallor] id teftatur, mireque expecto, quid contra Flaminius fit allaturus. Tum Amafejus. Recte quidem, Bonamici, hanc horam melius ponere [etiamfi optio data effet] non poteramus, qui hujufce noftri tanti officii, tantam mercedem fimus ablaturi. Nam quem Delius fequatur, probe novimus; quod vero contra Flaminius attulerit, id amplius auferemus. Tum Flaminius. Mihi vero gravius onus impofitum eft, quod, duobus Rofciis fpectantibus,

fim

sim acturus. Nam quod familiariter inter nos agebamus, admodum leve erat, in quorum sermone nullus verborum delectus, nullus reliquus ornatus inquirebatur; satis enim quisque nostrum habebat, si rem planius explicatam audisset; nunc vero horum duorum Latinæ eloquentiæ luminum accessione, is labor accessit, ut mihi sit diligenter videndum, ne istis stomachum moveam, si quod mihi verbum aut barbarum, aut a bonorum usu exclusum, aut etiam minus tritum imprudentius exciderit. Tum Amasejus. Nihil est, Flamini, ut te nobis [ut pro Bonamicio etiam dicam] ita excuses, qui scimus, quantum tua scripta tam in soluta oratione, quam etiam in carmine cum veterum scriptis contendant, quamque promptus sis etiam ex tempore perpolite, atque pereleganter dicere. Id quod cum omnes affirmassent, tum Flaminius sic exorsus est. Equidem, Deli, Judicium hoc, de quo nunc nos agimus, a natura homini magis dari, quam ista tua rerum cognitione comparari, existimo. Hoc autem ut sentiam, tribus hisce potissimum rationibus adducor. Primum, quod sunt, qui nullam rerum cognitionem calleant, neque ullum usum habeant, & tamen prudenter judicent; deinde, quod contra non pauci reperiuntur, qui in summa rerum cognitione, atque earum pertractatione, omni tamen Judicio carent; postremo, quod de una, atque eadem re alii alia sentiunt. Ac quod ad rerum ignaros, qui tamen recte sentiunt; videmus pueros, qui omnis rerum cognitionis sunt expertes, interdum prudentissime judicare. Memoriæ proditum est, Catonem puerum, atque adhuc sub pædagogo agentem, cum ab eo ad Syllam salutandi caussa duceretur, & semper multorum proscriptorum capita ad eum afferri videret, de eo aliquando quæsivisse, cur nullus tandem inveniretur, qui tot, ac tantas omnium injurias ulcisceretur? Cui cum respondisset Sarpedo [id enim erat pædagogo nomen] omnibus quidem voluntatem, sed nulli facultatem esse; tum ipse: *modo mihi ferrum detur*, inquit, *reliqua ego cum ad eum ad lectum, ut soleo, accessero, fortiter transfigam*. In quo facto Cato puer bis recte sensit; semel cum tyrannum tot illustrium Virorum interfectorem omnino tollendum esse judicavit; iterum cum qua ratione id facere posset, optime vidit. Neque tamen hic illud genus vitæ quicquam attigerat;

aut

aut de alterius consilio dicebat; sed id totum a natura exhauserat, quæ jam in eo puero pro Republica vigere incipiebat. Alcibiades vero & ipse adolescens, ac pœne puer, cum Periclem avunculum suum tristem, atque animo omnia assidue versantem videret: ecquid, inquit, hoc est tantæ solicitudinis, atque mentis inquietæ? tum Pericles. In Minervæ Propylæa ingentem pecuniæ publicæ vim insumpsi; ejus ratio mihi nunc reddenda est, neque qui id faciam, habeo, atque ea caussa, ut vides, anxie solicitor. Tum ille subito, atque argute: quæras igitur, qui rationem eam non reddas. Non quæro hoc loco, utrum Patriæ Alcibiadis consilium salutare fuerit; satis mihi est, quod puer acutius natura magistra, quam Pericles ipse natu grandior sua rerum cognitione vidisset. Alexander vero & ipse admodum adolescens, a Philippo patre invitatus, an ipse quoque in Olympiis currere vellet; *curram*, inquit, *si mecum Reges concurrant*. Gravius respondere non potuit; neque tamen id ab ullo Magistro, quam a natura ipsa, respondit. Tanta enim hujus vis est, ut quidam arbitrati sint, eam in hominum animis, antequam nascantur, omnia infundere, idque, quod postea addiscitur, potius sit reminisci, quam addiscere, ut qui a natura optime institutus sit, is satis habeat ad recte, atque acute videndum. Tritum autem apud nos illud est, *mulierum consilium optimum esse, si ex tempore sumatur; contra vero non ita*: fortasse, quia earum natura talis sit, ut subito rectius videant, quam cum maturius animadvertunt. Quid quod constat inter doctos Viros, hominem ignarum Astrologiæ, ornatissimis, atque optimis versibus, Aratum de Cœlo, atque de Stellis dixisse? Nicandrum vero Colophonium & de agro colendo, cujus scientiæ ignarus erat, optime scripsisse? quorum uterque rei naturam secutus, eam gloriam, qua celebrantur, sunt consecuti. Quin etiam in iis, quæ fortunæ, quod multo magis est, subjecta sunt, atque in ipso belli medio, ut Delius dicebat, cerui non possunt, Hostilius suo ingenio, atque divina natura optime vidit, cum fortunæ suæ proditionem una voce correxit. Hic enim, audita Metii Fufetii ad hostes defectione, alta voce, ut hostes etiam audirent, in hanc sententiam clamavit; *ne timete, fortissimi milites: ego Fufetium illuc misi, qui hostem circumve-*

veniret, atque eum a tergo adoriretur: quæ vox suis pugnandi alacritatem restituit; hosti vero maximum metum injecit. Quod neminem aliunde depromptum, quam a natura ipsa, dicturum arbitror.

At hi sunt, qui naturali Judicio sine ulla rerum aut cognitione, aut tractatione recte judicarunt. Quid autem, quod multi etiam, qui omnibus scientiis plurimum valent, & in earum exercitatione non parum versati sunt; tamen omni judicio carent? ac quid in iis boni, quid contra insit mali, pessime vident? Noverat omnia Politianus, ut de recentioribus agam; fuit enim Vir ille omnium scientiarum peritissimus; neque in Oratoribus ingratam operam posuit, dixitque etiam sæpe; hic tamen eloquendi rationem in veterum imitatione versari non vidit; quem etiam non puduit adolescentes ab ea, quantum in ipso fuit, deterrere. Quare etiam ipse imposite scribebat. Erasmum qui doctissimum Virum, atque locupletissimum Scriptorem esse neget, is Solem lucere negabit. Hic quoque tamen in suo Ciceroniano quam imprudenti Judicio fuerit, nemo non videt, cum & ipse ad Ciceronis imitationem scribendum esse pernegget. Egnatius non solum non recte sentit, sed, qui etiam cum illo versantur, maxime in dicendo corrumpit, & multos tamen publice docuit annos, & complures etiam scripsit Orationes. Ex veteribus autem Sedigitus de Comicis pejus judicare non potuit, cum Terentium Cæcilio; quid enim dicam Plauto? postposuit; & tamen ut videtur, non ejus facultatis imperitus fuit. Ac ut ad cæteras etiam facultates transeam, Marcus Antonius multis quidem miles bellis interfuit; Dux etiam multa prælia, non pauca Imperator cum externa, tum Civilia confecit, ex quibus omnem belli rationem, atque usum percipere potuit; numquam tamen sibi pejus consuluit, quam cum in ea navali pugna, in qua postrema cum Octavio ad Actium conflixit, mollissimam Reginam Cleopatram secum habere voluit. Si enim belli rationem consuluisset, prorsus vidisset, a muliere illa maximum periculum sibi imminere, quæ in sua, quod fecit, fugam cæteris compararet, aut, si mansisset, Regiis opibus hosti ad se facilius superandum majorem animum addidisset. Hac enim una capta, totus hostium exercitus perpetuo ditatus esset. Neque Pompejus, qui plu-

plura bella confecit, quam alii pugnas Imperatores, non potuit & ipse hoc Judicio aliquando non carere, cum pro Italia relicta in Græcia, quam in ipsa Italia, quam tenebat, pugnare maluit; ex qua fugiens, vel, ut cum eo modestius agam, decedens, ut nihil aliud peccarit, certe suis animum adimebat, hosti contra maxime adaugebat. Ea enim victoriæ est natura, ut quantum de altero adimatur, tantum alteri virium addatur. Copiis non erat inferior; caussam honestiorem habere putabatur; Italiam ipsam tenebat; cum eo denique boni omnes, atque Senatus ipse consentiebat. Neque vero Annibal horum utroque rei militaris imperitior fuit; hic quoque tamen in victoria imprudenter vidit, cum post tertiam stragem Romanis inflictam in Campania luxuria contabuit, Romanosque victos, Romamque prope captam neque vincere, neque capere scivit. Neque mihi nunc quisquam Romanam fortunam objiciat, ne ego contra Brenni, atque aliorum Ducum direptiones illi pariter objiciam. Restat tertio in loco, ut hoc quoque ex diversa eadem de re hominum sententia comprobemus. Nam quod de eadem re diversæ sint hominum sententiæ, aut ex rei ipsius varia, ac multiplici significatione, aut ex eorum, qui judicant, non una natura, fieri dicendum est; ex rei vero significatione, quæ una tantum sit, multiplex judicium esse non potest. Ergo ex eorum natura, qui de ea diversa sentiunt, magis ut nascatur, dicendum est. Martialis, exempli gratia, idem semper est Scriptor tum re, tum etiam scriptione; non de eo tamen omnibus unum est Judicium. Multi enim sunt, quibus ejus versus placent; non fortasse pauciores, qui eosdem valde improbant. Continuo id ipsius Martialis nulla caussa fit, quod unus his, alius aliis sit, quamobrem de eo diverse judicent; sed ii secundum naturam suam de eo sentiunt, hoc est, qui, quod naturæ suæ convenit, in illo aut agnoscunt, aut desiderant. Ita de cæteris dicendum est; ut undique constet, quemque naturam suam sequi in judicando, quod idem est, ac si dicerem, quemque judicium suum a natura sua habere. Tres item Latini, qui cæteris præstent, sunt Historici, Cæsar [mihi nunc liceat Cæsarem in Historicis numerare] Sallustius, Livius, nihil tam dissimile, quam hi sunt inter se, stylo, atque scriptione. Cæ-

sar purus, neque, quam par est, aut pressior, aut laxior; Sallustius vero ita interdum anguste agit, ut obscurus fiat; Livius in suo illo candore quiddam luxuriare videtur; neque tamen dici potest, horum diversam scribendi rationem ex Historiæ diversa ratione natam esse, quæ una tantum est; in qua, qui posteriores fuere, facile imitari poterant; sed quisque suam magis, quam alterius, naturam sequi maluit: unde etiam ejusdem rei varia secuta est tractatio. Alii enim alium, ut magis placuit, secuti sunt. Quasi vero Aristoteles a Platone Magistro suo in Philosophiæ præceptis tradendis non discesserit, atque eadem alia via pertractarit; quorum alterutrum Judicio caruisse dicendum est; quod, nisi, qui Judicii expers sit, numquam dicere audebit. Quid igitur? naturæ diversa ratio, quam uterque non sine Judicio secutus est, cum ille Dialogi ratione sub velo quodam; hic vero perpetua ratione rem eandem persecuti sunt. Id quod in omnibus aliis facultatibus fieri videmus; ut in re rustica, in re militari, in Oratoria, in quibus multi, diverso quisque modo, versati sunt; in postrema vero Cicero non solum a cæteris, sed a se ipso etiam discessit in ea pertractanda. Nunc enim hoc modo, alias alio, laxius, pressius, solus in Dialogo absolvit. At hac ratione multas homo naturas, ut habeat, oportet, si hæc rei unius varietas ab ejus natura proficiscitur. Immo vero una est tantum natura, sed quæ, quasi materies, cæterarum rerum imaginem recipiat, atque eam postea dicendo referat. In diversis quidem rebus hoc ferri potest; in eadem autem qui fiat, non video. At pictor id tibi facile ostendet, qui una sua tantum natura non solum omnium animalium imaginem exprimet, sed cujusque etiam multifariam, ut in hominis, quam modo infantis in cunis, modo pueri, modo imberbis, modo adolescentis, viri postea, deinde etiam cani, rugisque pleni depinxerit; & tamen una tantum est natura; ita & in cæteris animalibus; non quod is pictor tot naturas habeat, ut modo puer sit, modo vir, modo senex, sed qui, quam habeat, ad ea omnia tanquam ceream ad omnes formas percipiendas habeat. Ad eundem item finem multi, sed non eadem via tendunt. Cato Carthaginem solo æquandam esse censebat, ne quarto quoque anno bellum Romanis superiori recens atrocius inferret; Scipio vero Nasica contra,

tra, qui tantum abesse, ut ea Urbs everteretur, ut, si jampridem sublata esset, magis Romanis conducere, ut restitueretur, omnibus rationibus contendebat. Brevi enim fore dicebat, ut cum a vicino, atque potentissimo hoste otium haberent, ac omnis belli metus sublatus esset, ne Romani ea arma in se converterent, quæ stantes Carthaginienses in se excitabant, ac mota diutius continebant. Horum, ut videtis, magis dispar sententia esse non poterat; par tamen & eadem erat utriusque voluntas, & finis in una Reipub. suæ salute conservandæ, quorum Judicium a natura cuique natum esse plane constat. Postremo vero si natura in homine quasi fons est, unde reliqua ejus sive bona, sive mala emanent, Judicium quoque cum cæteris animi partibus a natura homini datum esse, convincetur. Quin ille, cui crassum, aut parvum, ne dicam, cui nullum, datum sit, nullo studii, atque cognitionis præsidio adjuvari potest. Perinde enim sunt homines in sua vitiosa natura, ut etiam arbores, quæ vitiosæ sunt genitæ, quæ nullo postea cultu, nullo studio, nullo artificio ad rectiorem formam dirigi possunt; ut paulo ante comprobatum est in iis, qui summa præditi eruditione; in ea tamen, quid boni inesset, nunquam videre, semperque in una intelligentia, nihil differre existimantes, an barbare, atque impolite, an Latine, atque splendide scirent, hæsere. Cui meæ sententiæ Horatii quoque sententia consentit, qui præcipit, ne quid invita homines facerent, dicerentque Minerva; non autem dixit, repugnante, atque invita cognitione. Sed paulo etiam, si placet, copiosius rem pertractemus. Quæro ego, an rerum inventio, an earum scientia, atque usus antiquior sit? Non arbitror, quemquam posteriora dicturum. Si ergo inventio præcedit, scientia postea, tertio vero in loco usus sequetur; quæro item, qui primi lanas ad fila, qui postea fila ad telas, telas vero ad vestium usum convertit, unde id Judicii suis artibus mutuati sint? An ab earum scientia, atque usu, quorum neutrum erat, an ex naturæ, quæ semper est, rerum omnium sive procreandarum, sive inveniendarum optimæ magistræ tacito quodam Judicio exceperint? Certe ab eo, quod semper est, id, quod postea sequitur, magis, quam contra, nasci dicendum est. Sed ut ad nostros redeam, qui primi de dicendi arte scripsere,

re, unde eam didicere? aut a quo fonte in sua scripta eam derivarunt? ut continuo caussam suam benevole exordiantur, deinde ut breviter, dilucide, explicate, atque ordine narrent; postea ut in partes dividant; praeterea ut adversariorum rationes suis argumentis diluant; his vero confutatis, sua confirment; quo utroque perfecto, rem aut amplificent, aut extenuent; postremo [ne totum Oratorem hic vobis concludam] aut ad misericordiam, aut ad graviter agendum, Judicem commovendo, perorent. A quo haec, inquam, Rhetore didicerunt, nisi ab ipsa natura? quando ars nihil sit aliud, quam natura descripta? Cicero vero gravissimus Auctor hanc nostram sententiam aptius tenere non potuit, cum pro Archia dixit: *ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos & moderatos, & graves extitisse fateor; etiam illud adjungo, saepius ad laudem, atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam*. Attendite quaeso: *naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam*. Quod si ita est, ut inventioni cedat etiam rei inventae cognitio, & usus, quique invenere, utrunque ut antecedant, necesse est; quo item sequitur, ut Judicium, quo inventores praediti fuerunt, a natura ipsa, non autem ab ulla rei cognitione oriatur. Quid vero, si postremo ego quoque Delii argumento meam multo magis, quam ipse suam faciebat, confirmem sententiam? Ille enim Judicium prudentiae fructum efficiebat, ut qui prudens sit, is solus in rebus dubiis optime videat, & judicet; prudentiam vero ex rerum cognitione nasci volebat: pari ratione ego quoque facio. Prudentem nullum esse posse, qui naturae adjumentis careat: quo dato sequetur, ut prudentia naturae beneficio homini data sit, atque ita quoque Judicium magis a prudenti natura, quam ab ullo artificio proficisci probabitur. Quod vero naturae omnis prudentia tribuenda sit, id probat; quod si quem illa stupidum, mentis impotentem, atque a sese abalienatum genuerit, potius ex quovis lapide, atque limo fictor aut manu, aut caelo quamvis formam exculpserit, quam omnis ars, atque solers praeceptio ab hoc scientiam ullam elicere possit. Iste item ipse rerum cognitionem omnium actionum magistram esse dicebat. Quid mihi obstat, cur ego quoque hoc ipsum naturae meae non tri-

tribuam, atque eo etiam rectius, quod ipsa quoque cognitio ab ipsa natura nasci videatur? Quibus rationibus, atque exemplis planissime constat, Judicium naturæ, non autem rei cognitionis, atque usus omnino bonum esse, ac qui hoc a natura non habeat, hunc nullo quoque studio habere posse. Hæc cum dixisset Flaminius, tacuit; cujus sententia multum omnes commorat; cum Magiolius; ecquid, inquit, tibi Amasei, tibique Bonamici, videtur de Flaminii sententia? Nam quod Aristoteles magis cum Sebastiano consentiat, omnes scimus: neque hic tamen in sua natura inanis est. Tum Amasejus. Nostrum est, Magioli, [id quod Bonamicium etiam arbitror dicturum] tantum audire. Accessimus enim isti vestræ Disputationi magis audituri, quam judicaturi, idque etiam casu adducti, quasi qui quintam personam in scenam inferunt, aut in circulis coronam complent. Nostri Julii Camilli hæc est provincia; cui non arbitror defuturum, quod contra utrumque, atque pro utroque egregie disputet, resque ut sese habeat, postea prudenter demonstret, atque hos inter se, ut videmus, maxime discordes, amice componat, atque conciliet. Ad hæc Julius Camillus. Magna res est, Romule, ut ego tantam controversiam tot, ac tam validis rationibus utrinque confirmatam quasi Judex sim compositurus, ac de istorum Judicio agens, meum sim Judicium in periculum adducturus; quicquid tamen alias cum ab aliis de hoc Judicio audierim, tum etiam mecum constituerim, vobis perquam libenter exponam, quandoquidem quantum isti inter se discordant, tantum ego ab utroque dissentio. Hoc ipsum, tum Magiolius, a te expectamus. Scimus enim, te primum fuisse, qui, quæ ad hoc Judicium faciunt, in tuis cum Latinis, tum etiam Hetruscis observationibus, non parum indicasti, cum eorum scripta aut secum, aut cum alienis conferebas. Ita quidem est, Magioli, inquit Julius Camillus; neque id mihi studii parum cum ad judicandum, tum etiam ad intelligendum profuit, cum ex collatis sententiis iisdem, quæ prudentius dicta esset, aut etiam quæ alteram planius aperiret, facile deprehendebam. Sed ad meam de isto Judicio sententiam venio. Ego igitur adolescens, de hoc ipso Judicio varie, atque copiose a doctissimis Viris disputari audisse me, recordor. Quidam enim nullum esse dicebant Judicium, neque

que quicquam eo fieri, sed casu, atque fortuna omnia gubernari, rerumque actiones uno exitu comprobari contendebant; quemadmodum in una Claudii Neronis temeritate, ut Delius dicebat, comprobatur, quam ex ejus exitu Senatus quoque, se comprobaturum, decrevit. Contra vero in Fabii Maximi prudentissimo Judicio, qui dum Annibalem cunctando ducit, remque Romanam eo consilio satis feliciter gerit, ecce tibi ex transverso fortuna, quæ ejus consilio adversans, quod in armis palam facere nequivit, in Urbe, atque adeo in Senatu id effecit. In eo enim quosdam excitat, qui eum cunctatorem appellarent, ac nimia imperandi cupiditate bellum trahere, criminarentur; quæ calumnia usque eo illum insectata est, quoad salus imperii Romani per novos Imperatores in summum adducta est periculum, atque hac quoque ratione sibi prudens consilium obedire coegit. Et profecto cum hominum egregia facta aut a consilio, aut a rerum exitu laudentur, cumque magis exitus consilio adversetur, quam contra; atque eventus ipsi fortuiti sint, sequi videtur, ut Judicium casui prorsus obediat. Quoties item Romani, Carthaginienses, Athenienses, & reliquæ Respublicæ, atque etiam populi, aut in suscipiendo, aut in gerendo bello optimum consilium secuti sunt; & tamen ejus exitus infelix extitit, ut qui a fortuna nasceretur. Quare etiam plerique mortales suas nobilissimas actiones magis fortunæ, quam ulli recte consultationi committere non dubitant; ut in procreandi ratione, quæ omnium rerum nobilissima est, in qua nullum [præsertim in homine gignendo] consilium adhibeatur. Quisquis enim quam casus, aut dos maxima obtulerit, aut appetitus comprobarit, eam in uxorem duxerit, deformem pulcher, infamem honestus, prudens fatuam, optime corpore atque animo valens utroque graviter affectam; etsi id contra in bestiis optime servari videmus. Hæc autem eorum, qui nullum dari Judicium tenebant. Qui vero hoc omnino dari asseverabant, horum alii quid hoc esset, aut unde fieret, prorsus ignorari affirmabant. Ita enim in ingenii interioribus partibus latere dicebant, ut comprehendi non posset. Hinc illud esse, quod dicitur, rem esse, quæ cum sit, quid sit, tamen dici non posse. Quod si ita est, in natura nostra id situm est, quodque sub nullam artem

tem

tem cadat, quando ne sub vocem quidem veniat. Alii Judicii officium rationi attribuebant, ut quæ sola videat, ac statuat quid agendum, quid non; atque ita Judicium cum ratione idem esse volebant. Nam ut ex appetitu voluntas, cupiditas, desiderium suam generationem agnoscunt, atque idem cum eo sunt; ita se Judicium, consilium, deliberationem, opinionem cum ratione habere, & idem inter se esse dicebant. Nam si Judicium est, existimare quid æque faciendum sit, quid non, quid hoc melius facit, quam ipsa rationis consultatio? Nisi enim ratio in consilium adhibeatur, atque eam Judicium consulat, nihil recte sentietur. Hac enim una homo ex præteritorum ratiocinatione, quæ futura sunt, facile cernit, atque dijudicat. Quare etiam bestias, quæ ratione carent, Judicio quoque carere videmus. Crassiori alii Minerva agentes, hoc cum rebus ipsis, quę in deliberationem caderent, homini occurrere putabant; quemadmodum voluptas in formosa muliere conspicienda, atque ejus simul potiundæ cupiditas; quæ ita præsto cum visu adsunt, ut quæ in ipso intuitu habitare videantur. Ea item animi affectio, quæ, vix visis duobus inter se decertantibus, continuo in alterius victoriam declinat; alterum odio habet; & in cæteris ejus generis innumerabilibus evenire videtur; quod nullo nostro consilio adhibito, sed suapte sponte cum re ipsa nobis excitatur. Argutius alii commentabantur, cum dicerent, in reipsa, ut in materia formam, inesse Judicium omnino, sed non, ut superiores, id se ipsum indicare; verum a ratione ex ea esse eruendum; atque ut fictor ex materia scalpello formam elicit; ita rationem sua consultatione Judicium ex re exprimere contendebant. Quin etiam quidam altius excogitabant, ut cuique rei sua certa idea in rerum natura servatur, unde postea omnia, quæ in terris gignuntur, formam suam capiunt; pari item ratione sequi, ut quæ animi sunt, ea quoque ab ipsa magistra natura ex suis ideis sint constituta, ut mens, ratio, consilium, appetitio, metus, spes, dolor, gaudium, cæteræque animi perturbationes; ita Judicium in hominum ingenio informaretur, atque pro materiæ facilitate ejus forma aut expressior, aut minus eminens efficeretur. Postremo vero qui rem prudentius attigerunt, duo Judicia faciebant, naturæ bono alterum, studio alterum esse acqui-

N 3 situm;

ſitum ; quod idem cum Delii , atque Flaminii ſententia eſſe videtur . De quorum omnium ſententiis , quid ego ſentiam, prius mihi dicendum eſt ; poſtea ad meam deveniam . Ac quod ad eos , qui Judicium tollunt , aut magis fortunæ ſubjiciunt, quia, quæ optime conſulta ſunt, ea ſua improbitate ſæpius evertit; contra vero, quæ temere ſuſcepta ſunt, feliciter abſolvit; atque ita a fortuitis eventis, non autem a recto conſilio res laudari volunt; hoc vulgarium hominum eſſe dico , qui conſilia eventis ponderant ; & cui bene res proceſſerit , eum prudenter vidiſſe , cui ſecus , nihil ſenſiſſe dicunt ; cum ſapientes contra, etiam quæ infeliciter evenerint, modo eorum ſuſceptio prudenti conſilio non careat , non improbent, in quibus unus Ovidius adnumeratur, cum ait:

Succeſſis careat felicibus opto,
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Damnat eos Ovidius, qui factum ex ejus exitu aut probant, aut vituperant, quique conſilium pro nihilo habent. Qui vero Judicium ita in reconditis ingenii quaſi penetralibus abſcondi , atque ſepiri dicunt, ut inde erui non poſſit ; iſti ſi de ſuo Judicio agunt , poſſum concedere ; ſi de aliorum , non ita ; cum multos in ſuis actionibus perpetuo recte ſentire videamus . Quod vero ad eos , qui Judicium quidem dari dicunt , ſed , quid id ſit , dici non poſſe affirmant, ii ridiculi , non autem prudentes videntur . Ego enim qui linguæ vitio , ut noſtis , interdum valde laboro; ſi quid eſt , quod difficulter proferam , id profero tamen, certe facile ſcribo. Qui vero Judicium idem eſſe cum ratione, atque in ea inhabitare diſputant, nonnihil dicere videntur . Sed ego nunc Judicium ſeparatum, ut ut poteſt, a ratione , ac per ſe ſolum quæro; ut ſi de conſilio , de opinione , cognitione , prudentia , cæteriſque virtutibus faciam , quas non nego originem ſuam a ratione ducere, atque ſuas certas ſedes in ea habere, ſed tamen harum cuique ſuas partes attribuam; ut Juſtitiæ ſit cuique, quod ſuum eſt, dare; nulli injuriam inferre; illatam, ſi poſſit, propulſare; Fortitudinis in iis, quę aut ſecunda, aut adverſa eveniunt, peræque verſari. Ita & de cæteris virtutibus agam , nullam rationis mentionem faciens. Jam vero qui cum re ipſa ſua ſponte Judicium ſe nobis offerre allucinantur, quique idem a ratione ex re dubia evellendum eſſe cenſent , illi , quaſi

qui

qui tot ſpecula, quot res dubiæ occurrerent, homini, quæ ſecum cujuſque rei imaginem propriam afferrent, proponere; hi vero tot atomos, quæ quidem niſi per Solis radios cerni non poſſent, inducere videbantur. Qui vero a naturæ idea illud repetendum eſſe exiſtimabant, veritati propius acceſſiſſe videntur, quia a natura non diſceſſere, quæ omnium rerum fons eſt, atque origo. Duo autem poſtremi reliqui ſunt, quorum ſententiæ omnino cum re ipſa magis faciunt. Altera enim ſuum certum Judicium habet; neque altera ſuo caret, ut a Delio, atque Flaminio paulo ante diſputari audiſtis, cum ille in cognitione Judicium; hic vero in natura tantum verſari, acutiſſime tuerentur; de quorum ſententia, quid ego ſentiam, paucis prius dicam, poſtea meam explicabo. Ac quod ad abſolutam rei cognitionem, unde Sebaſtianus Judicium ſuum ſibi conſtituebat, is quidem recte ſentit. Qui enim aliter Judex in cauſſis rectam ſententiam ferret, niſi rem totam aut argumentis, ac rationibus, aut teſtibus ipſis prius percognitam haberet? multo etiam minus Medicus de morbis, ita cæteri in ſuis facultatibus judicarent. Neque contra Flaminius minus perite, ac judicioſe faciebat, cum Judicium, ut cætera omnia, natura naſci affirmaret. Nam qui hoc bono præditus ſit, non parum in judicando valebit, ut in Catone, atque Alcibiade pueris ſatis comprobari videbatur; ut horum uterque ex altera parte recte ſenſerit; cum uterque ſuam partem æque defenderet; in eo vero, quod alteram partem ad Judicium faciendum rejiceret, inique. Ego vero, ut tandem meam ſententiam explicem, cum ab horum alterutro, ut iſti volunt, Judicium duci, minime nego; tum vero, ut ab utroque ſimul conficiatur, magis probo; atque ita, ut, qui optima natura præditus ſit, is bene judicare, neque qui rerum cognitionem perfecte calleat, is quoque ejus rei, quam optime teneat, male; qui vero hoc utroque bono abundet, omnium optime judicabit; ac perinde fiet, atque ſi natura, & rerum cognitio duo ſint amnes, qui aliquando ſimul una confluant, ex quorum alterutro commode, ſed ex eo, qui ex confluvio fit, multo tamen commodius, atque copioſius aqua derivari poſſit: ut Cato, & Alcibiades a natura ſua tanquam ex altero rivo recte judicare potuerit. Neque contra qui rei peritiſſimus ſit, ſuo is quoque

Judicio carebit; qui vero natura & rei cognitione valebit, is recte judicare dicetur. Neque enim mihi quisquam unquam persuadebit, Politianum scisse, quantam dignitatem haberet dicendi elegantia, & eam tamen, ut pulchram virginem, contempsisse, sprevisse, atque inter suas Musas non coluisse; nisi hic forte Solem videns, quia in eum ipse intueri non posset, illum ea ratione aliis non lucere postea prædicaret. Quod si ita esset, id malitia potius, quam Judicii vitio accidisset. Sed ego culpam hanc magis in illa tempora, quæ, ut ex illorum scriptis constat, nullum delectum verborum sequebantur, nullum Orationis cultum atque ornatum habebant, recteque fieri potuisse, ut in cæteris studiis omnia viderit, in quibus etiam plurimum & valuit, & rectissime sensit; hanc tamen, de qua tam male judicavit, non cognoverit. Id quod de Erasmo, & Egnatio dici potest; de Cæcilio vero nihil dico amplius, quam quod monstrum fuit; ut qui natura plus, quam homo, fuerit, Judicio vero multo minus. Quod vero Cicero Arato, atque Nicandro earum rerum ignorationem dederit, de quibus tamen optime scripserint; ad quorum imitationem Oratorem suum facere posse contendit; eo modo exponitur; quamquam ille siderum, hic vero agriculturæ nullam cognitionem teneret; tamen utrumque de aliquo earum scientiarum peritissimo, quæ ipsi postea versibus suis præclare scriberent, abunde habere potuisse. De Antonio, de Annibale facilis est responsio; hæc, ut amoris impatientes, non vidisse; quæ etiam si vidissent, amore tamen victi, armis vincere nescivissent. Quod ad Pompejum, Senatum objicere possem, cujus sententiam fortasse tum sequi coactus est; certe in re bellica Judicio falli cum ex multiplici ejus ratione, tum ex fortunæ inconstantia, haud mirum videri debet. Neque quod item Cicero dicat, se magis naturam in homine desiderare, quicquam nostram labefactat sententiam. Is enim utrumque probat, & doctrinam, & naturam; cum tamen dicat, se malle naturam sine doctrina, non propterea doctrinam ut inutilem respuit, atque aspernatur; sed perinde facit, atque ille, qui in genero sibi deligendo, virum probum sine re, quam malum vel in locupletissima, malit; quem tamen si cum probitate locupletissimum nactus sit, multo eum libentius, multoque facilius sit

acce-

accepturus. Sed cum hoc nihil nobis adversetur; illud quidem ejus ipsius Ciceronis nostræ sententiæ magis convenire non posset, cum pro eodem Archia inquit: *cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædam, confirmatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum, ac singulare existere solet*. Ubi conjungit ad aliquid præclarum, ac singulare efficiendum naturæ, atque doctrinæ vim, ut ego in meo perfecto Judicio facio, quod ab harum utraque derivari mihi constituo. Cui me sententiæ Horatii quoque sententia accedit, cum ait:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

Alteram sine altera Horatius nihil proficere dicebat. Qui igitur ab harum utraque multum adjuvabitur, is etiam in judicando multum valebit; qui vero erit optime institutus, huic ad perfectum Judicium nihil deesse poterit; ut apud nostros Andreæ Navagerio, Bembo, Sadoletio, Longolio, vobisque [liceat mihi, quod verum est, vobis etiam præsentibus, dicere] Romule, atque Bonamici, qui cum optima natura studiorum quoque rationem non pessimam, atque rerum cognitionem minime vulgarem conjunxistis, evenisse constat, non autem ut illi, quorum paulo ante Flaminius meminerat. Quare illi semper inculti, horridi, asperi; vos vero cum vestro nobilissimo comitatu, quod a natura habuistis, ita postea studio, atque usu adauxistis, ut vestra scripta Romanam elegantiam redoleant, atque Oratorium splendorem sibi præluceant; eorum vero quidvis aliud, quam ullum ornatum, atque dignitatem, præ se ferant omnino. Nam quod Flaminius ait, ex diversa hominum ejusdem rei sententia probari Judicium magis ex natura, quam ex rerum cognitione, facile occurritur. Qui judicant aut ex iis esse, qui naturam, aut qui cognitionem, aut qui simul utrumque faciunt, qui a natura sua non discedunt, si bona est, recte: qui a cognitione pendent, si eam probe perceptam habent, haud improbe: qui vero tertii & naturæ bonitatem, & scientiæ rationem conjunctam habent, atque ad eas Judicium suum dirigunt, ii soli recte sentiunt, & perfecte judicant; ut hac quoque ratione perfectum, atque absolutum Judicium tam ex

in-

intelligentia, quam ex naturæ bono perficiatur. Ubi vero de rerum inventoribus agit, quos negat ulla cognitione earum rerum, quæ nullæ erant., adjuvari posse; respondeo, semper ex imitatione aliquid animadverti posse; ut qui lanificium, atque texendi inventum excogitarit, alterum a bombyce vermiculo; alterum ab araneo id mutuari potuisse; ita qui specillum, ubi nostram imaginem spectamus, adinvenit, id ab clara aqua, unde eam referri videmus, facile sibi excogitarit; ita qui superioribus annis [quos *archibusos* appellamus] commentus est, a fulminibus, atque Cœli tonitruis ad eam inventionem excitari potuit; ita in cæteris, ut semper aliquid a certa re sua, aut ab aliena, qua id constituat, habere posse videatur. Duo postremo ad summam pulchritudinem opus sunt; natura unum; studium alterum. Nam quæ natura suapte conformata sunt, ea semper pulchra sunt; nec cui studium aderit, parum id quoque ad pulchritudinem profuerit. Id quod in mulieribus nostris quotidie cernitur. Quibus enim a natura optima forma data est, continuo a se ipsæ, ut pulchræ, probantur; cui vero aliquid vitiosum acciderit, si id studii beneficio emendetur, pro studio inter formosas, plus minus, adnumerabitur, quando etiam [ut nihil de ori fuco superlito, nihil de capillo commutato, nihil de ciliis aut evulsis, aut abrasis, & reliquis ejus generis dicam] si quæ claudæ natura exortæ sint, [vulgari enim modo naturæ vitium nunc appello] ita solearum beneficio id vitii corrigant, ut integræ elegantius non incedant. Verum cui utrumque aderit bonum, & naturæ adjumentum, & artis studium, huic nihil deesse poterit ad omnem pulchritudinem; ut etiam lapides, qui a natura omnino pretiosi gignuntur, si vero ars adhibeatur, non parum illis accedat cum ad pretium, tum ad pulchritudinem augendam. Ita ego in hoc meo tertio Judicio constituendo facio, ut hinc natura, inde studium, seu rerum cognitio, hoc mihi perfecte conficiant; tum fiet, quod nos dicimus de absoluto Judicio, quod a naturæ bono, atque a rerum scientia atque tractatione conflari volumus. Atque ita dicendi finem fecit. Tum Saulius; ecquid ais, Magioli? Non tibi Proteus iste, primum horum duorum retibus probe involutus, postremo etiam a Julio deprehensus esse videtur? Tum Magiolius. Mihi quidem, Sauli,

quo-

quoniam de me nominatim quæris, [isti suam quoque postea sententiam dixerint] Julii Camilli explicatio valde arridet, qui, ut suis adversariis, quod eorum erat, concessit, ab utroque postea ipse, quod suum sibi ad perfectum Judicium faceret, modeste sumpserit. Et mea quidem sententia ita est, ut eruditio per se multum Judicium adjuvet; natura vero nihil obsit; utrumque vero simul conjunctum illud Judicium efficiat, cui nihil desideretur. Nam si Cato, atque Alcibiades, cæterique eorum similes a sua natura, ab ortu suo secum Judicium extulerint, neque qui ejus optimæ naturæ loco, optima rerum scientia erunt instituti, suo quoque judicio carere dicentur. Quin illud addo [quia non omnibus ea optima natura est ingenita] si paulo obscurioribus naturis studium, atque rerum cognitio præsto aderit, id non parum adjumenti illis afferre ad judicandum, ac perinde fieri, atque si lumen obtusum in crassiori cornu inclusum, quod quidem foras aliquid splendoris emittet; sed multo id clarius emitteret, si quod ab artificio habebit, subtiliori cornu, atque eo perunto, includatur, atque aurum, quod & ipsum in venis terræ gignitur omnino pretiosum, sed terreum, atque sordidum; cui si magistra manus, si purgatio accedat, multum quoque & splendoris, & dignitatis accesserit. Quam Magiolii sententiam cum omnes comprobassent, ac probe Julium Camillum sensisse affirmassent, tum surrexere, atque ut cuique magis visum est, hic huc, ille alio deambulatum discessere. Romulus vero & Bonamicius cum Saulio, qui domi cum Magiolio remansit, confectis aliquot brevibus spatiis, & ipsi eum valere jussere, domumque suam se contulere. Hæc sunt, Aloysi amplissime, quæ a nobis de Judicio habere potes: in quo meo officio si tibi satisfecero, mihi erit quam gratissimum; si minus, neque id tamen ingratum est futurum, quod tibi omnino morem gessisse videbor.

JOAN-

LE ESEQUIE
DEL SIGNOR
DONNO HERCOLE II.
Duca Quarto di Ferrara.

IL Giorno ſeguente, che fu a ventiſette di Novembre, ſi fecero le eſequie del Duca morto; il Corpo del quale era nella Capella della Corte, che è nel gran Cortile contiguo alla Piazza, & vi era ſtato per tutto il tempo, che il Duca nuovo ſtette abſente. Queſta Chieſa dal mezo verſo la porta era tutta cinta di panni neri, & verſo l'Altare maggiore tutta di velluto nero con varii comparti per dentro, & d'intorno era una cornice coperta di velluto con l'armi Ducali, & con le inſcrittioni convenienti, & con torchi in tanto numero, quanto vi potè capire. Il Catafalco, ſopra il quale ſtava il Corpo, havea alle bande quattro Piramidi cariche di lumi, & quattro grandiſſimi torchi proportionati al pari delle Piramidi, & ſopra vi era una cupola di broccato, & a torno riſplendeano diverſi colori melanconici, che uſcivano dalle bozze di vetro piene d'acque, ch'haveano di dietro le lampadi. Tutto il palco era coperto di broccato, & anche tutto il circoito infino a mezo la Chieſa.

Et per tutto il tempo dell'abſenza del Duca nuovo, che fu per cinquanta due giorni, ſempre in queſta Capella ſi celebrarono gli Uffici ſacri, e vi ſtavano dì & notte alcuni Gentil'huomini della Camera, & alcuni Alabardieri della guardia, che ſi compartivano di volta in volta, & ogni mattina vi andavano alla Meſſa i principali Magiſtrati con la Nobiltà, & ſempre vi ardeano tutti i lumi ſopradetti. Standola coſa di queſta maniera, il Duca il Luni mattina, che fu dopo il giorno della ſua Creatione, andò alla Capella, e fu cantata una Meſſa funerale, & poi a ventiuna hora tornò al medeſimo luogo, nel quale era un Cadiletto ſopra un Catafalco riſtretto

to in poco ſpacio; ma nondimeno ſontuoſo & appropriato, quanto era l'altro, & nel Cadiletto era il Sig. ſuo Padre finto di ſtucco aſſai ſimile alla propria effigie, veſtito alla Ducale, & dall'una banda ſtava il Sig. Cornelio Bentivoglio con la Spada, & dall'altra M. Jacomo Trotti col baſtone, & per ordine vi ſi vedeano tre Stendardi, quello della Lega del Papa & del Re Chriſtianiſſimo, quello di Luogotenente Generale del detto Re, & quello d'Huomini d'arme. Il Duca nuovo ſi poſe alla mano deſtra dell'Altar maggiore ſopra un palco alquanto alto da terra quaſi incontro al Catafalco del Signor ſuo Padre, & di ſotto erano meſſe due banche in un mezo cerchio per quelli del ſangue. Dipoi ſeguivano i Magiſtrati & i Gentil'huomini. A rimpetto del palco del Duca ſtava un pulpito, ſopra il quale M. Gio: Battiſta Pigna ſuo Secretario fece una Oratione in laude del Duca morto di due terzi d'hora, che sarà nella fine di queſte eſequie. Et finita, ch'ella fu, s'incominciò ad inviare la gente, la quale paſſava per il Cortile, ch'era tutto tapezzato di panni neri. L'inviarſi fu in tal guiſa.

Cento Putti veſtiti di camiſcie di Cendado nero, che haveano in mano torchi acceſi, a i quali erano attaccate l'armi Ducali imbrunate.

Tutte le arti coi loro Confaloni.

Tutti i Battuti.

Tutti i Frati.

Tutto il Clero.

Tutte le Croci.

Tutti i Confaloni da morto.

Et tutti i sopranominati haveano in mano torchi di cera bianca acceſi.

Venivano a piè, pur con torchi, con un poco d'intervallo i Cavalleggieri, & Huomini d'Arme, & Lanzeſpezzate del Duca morto, & dipoi ſeguitavano

I Trombetti, che ſonavano le ſordine: i quali la ſera precedente haveano annontiate le eſſequie del Duca.

Paggi ventiquattro ſopra Corſieri coperti di velluto nero infino a terra con gran Croci di raſo bianco.

Il Conte Camillo Montecuccoli con lo ſtendardo d'Huomini d'Arme.

Il Cavalier Bernieri con lo ſtendardo di Luogotenente.

Il

Il Conte Hippolito Estense Tassone con lo stendardo della Lega.

M. Filippo Cospo con li speroni.

M. Oratio Pacherone coi guanti.

Il Conte Hercole Trotti con l'elmo.

M. Iacomo Trotti col bastone.

Il Sig. Cornelio Bentivoglio con la Spada.

Tutti otto parimente erano sopra Cavalli tutti coperti di velluto nero infino a terra, con gran Croci di raso bianco.

Veniva il Cadiletto, & d'intorno givano cento incapucciati deputati a ciò con torchi in mano, & dalle bande gli Alabardieri.

Poi un Cavallo vuoto tutto coperto di broccato d'oro riccio sopra riccio, & dietro seguivano

I Gentil'huomini del Duca morto incapucciati.

I Gentil'huomini del Duca nuovo con le gramaglie.

Et alquanto distante

Il Conte Nicolò Estense Tassone Maggiordomo.

Poi il Duca nuovo accompagnato dal Conte della Mirandola, & dal Sig. Galeazzo Gonzaga, & gli portavano la coda due suoi Camerieri secreti, & a i lati della sua persona caminavano ventiquattro Paggi, & ventiquattro Staffieri con torchi.

Appresso venivano i parenti, ch'erano

Il Sig. Donno Alfonso da Este accompagnato dall'Arcivescovo di Santa Severina.

Il Sig. Francesco da Este da Monsig. Rossetti.

Monsig. di Casale dal Vescovo Tombese.

Il Sig. Hercole Bentivoglio dal Signor di Sassuolo.

Il Conte Hercole Contrario dal Conte Hercole Rangone.

I detti parenti erano incapucciati, & quei, che gli accompagnavano, haveano le gramaglie. Dietro andavano

Il Giudice de' Dodici Savi.

Il Podestà.

Il Consiglio di Segnatura.

Il Consiglio di Giustitia.

I Secretari.

I Fattori.

Et alcuni Ufficiali principali di Corte.

Dipoi i Bidelli con le Mazze.

I Dot-

I Dottori di Legge.
I Dottori dell' Arti.
I Procuratori.
I Notari, & infiniti Cittadini della Terra.

Tutti i Magiſtrati, & i Gentil'huomini, & i Dottori haveano li Staffieri loro veſtiti di nero con torchi.

Il Cadiletto fu portato in tre levate da tutti i principali Gentil'huomini dello Stato, i quali haveano i loro Staffieri, che alle bande della ſtrada portavano i torchi.

La ſtrada, che fecero le eſequie, fu dal Cortile alla Piazza, & alla Piazzetta: & di lì alla Campana, voltandoſi alla Giudecca, infino alle Monache di San Bernardino, & piegarono verſo li Strozzi, & andarono al Corpo di Chriſto: ove fu depoſto il Corpo. Le ſtrade dall'una banda & dall'altra erano tapezzate di panni neri; in cima a quali ſtava uno compartimento d'arme Ducali, & d'inſcrittioni, con cornici, ſopra le quali ardeano i torchi con giuſta diſtantia, & dalle bande della via erano fitte in terra le facelle: & a tutte le fineſtre delle Caſe ardeano i lumi nelle lanterne di carta, & i Palazzi haveano tre, & quattro ordini di torchi l'uno ſopra l'altro nella facciata.

Al primo capo della Giudecca era un'Arco, & un'altro all'ultimo capo, ſotto i quali fu portato il Corpo, & queſti Archi erano neri ornati d'Epitafi, & carichi di facelle, & in cima haveano una altiſſima cupola tutta coperta di lumi piccioli, & dentro vi erano le muſiche meſte & funerali, & così queſte muſiche, come quelle del giorno precedente, furono ordinate da M. Franceſco Viola Maeſtro di Capella del Duca.

Il concerto di queſti due apparecchi fu fatto dal Sig. Cornelio Bentivoglio, il qual, come dicemmo da principio, era ſtato mandato inanzi dal Duca, & egli giunto a Ferrara, dopo l'haver proviſto alle coſe più importanti, ordinò la Creatione, & le Eſequie nel modo, che doveano farſi.

JOAN-

JOANNIS BAPTISTÆ PIGNÆ

ORATIO IN FUNERE

HERCULIS II.

Ducis Ferrariæ

Habita V. Calend. Decembris MDLIX.

ALEXIO PAGANUCIO BELLIPRATI

PRÆSULI AMPLISSIMO

Joannes Baptiſta Pigna S. D.

LUcius frater tuus, qui ob ſingularem ſuam prudentiam non ſolum in Galliæ Regia erat a ſecretis Alphonſi Ferrariæ tum Principis, nunc Ducis, ſed ejus negotia omnia, univerſamque aulam fere ſolus adminiſtrabat, pluribus de cauſſis impeditus Lutetiæ Pariſiorum morabatur. Ubi cum ego ad Alphonſum incitatis equis in Lotharingiam tendens, ipſum offendiſſem, ut amabiliſſimi Viri, meique amantiſſimi intima familiaritate fruerer, apud eum aliquantulum ſiſtere decrevi. Tunc vero accidit, ut, cum ambo domi tuæ a cœna dormiremus, Orator Herculis Ducis Ferrariæ diluculo ad Lucium venerit, præmiſſo nuncio, qui nobis referret, Tabellarium unum, atque alterum rapidiſſimo curſu ad ſe pro-

pe-

perasse. Hic inter nos diversæ sententiæ. Tu unus gravissimum Herculis morbum, indeque obitum Tabellariorum literis significari arbitrabaris; quod Orator postea confirmavit. Alphonsus itaque ejus filius cum e Gallia Tyrrhenum navigans in Italiam rediret, jussit, me in ipso itinere Laudationem Patris conscribere, quam heri in amplissimis Inferiis a me habitam hujus fasciculi a meo Principe isthuc missi opportunitate tibi mitto, antequam in lucem prodeat; non tam propterea quod mortem tanti Principis tunc fueris vaticinatus, quam propter pium illum sermonem, quem in cœna nocte illa de Animæ immortalitate, deque humanis calamitatibus fecisti. In quo colloquio casu quodammodo de Atestinorum, Herculisque potissimum, atque Alphonsi laudibus mentio incidit, ita ut oratio tua quasi funebris fuerit, & matutini nuncii præsaga. His igitur de caussis; multo vero magis, quod me Lucio fratri tuo quasi fratrem alterum tibi adjunxisti, vosque ego in rerum actionibus mihi antesignanos proposui; hæc mea prima in Ducis nostri Principatu lucubratio tua erit. Quæ quamquam est levis, tuæque florenti amplitudini, & maturæ prudentiæ digniora conveniant; tamen, quando occasio nuper oblata ita fert, partum, quem tuum esse necesse est, non recusabis. Vale. Ferrariæ IV. Cal. Decembris MDLIX.

ORATIO

JOANNIS BAPTISTÆ PIGNÆ.

EA eſt, Dux Alphonſe, voſque Viri clariſſimi, humanæ vitæ conditio, ut non ſolum variis perturbationibus agitemur, ſed etiam interitu celerrimo concidamus, idque rationis beneficio ante oculos propoſitum habeamus. Ac moleſtiæ quidem, licet graviſſimæ, generoſo ſpiritu propulſantur, ita ut in adverſis felicitas etiam firma ſpectetur; ſed in perturbationibus perferendis ſunt, qui eas fortiter ſuperarint, atque mortem magis, quam vitam, ſint conſecuti; interitus vero quoniam vitari non poteſt, dura omnino videtur hæc lex, mortem a nemine appetitam ab omnibus eſſe oppetendam. Sed Deus Opt. Max. qui eam fecit, ei quoque optime providit, ut videlicet in morte homines non morerentur, qui pro uno tantum interitu triplicem vivendi æternitatem obtulit, quarum una eſt divina, altera humana, tertia naturalis. Divina animus adeo perpurgatur, ut Cœleſte lumen hauriat, & ad immutabile Beatorum ævum traducatur; humana ad gloriam virtute, egregiiſque artibus comparatam pertinet; naturalis illa eſt, qua liberi propagantur, ac dignæ cognoſcitur poſteritatis præſtantia. Itaque quamquam Herculis ſecundi Ducis Ferrariæ obitum omnes ſordido hoc ſqualore, tenebroſis hiſce luminibus miſerabilem eſſe teſtamur: quamquam improviſum & acerbum hunc caſum tacito mœrore, & piis lachrymis deflemus; tamen tanti Principis ſi pietas erga Deum, ſi virtus in agendis rebus, ſi filiorum præclara ſoboles animadvertatur, illum non mortuum, non miſerum, ſed adhuc ſuperſtitem, ſed vere felicem aſſeremus; noſque in tanta calamitate, ac jactura tanto ictu percuſſi tecti rationis clypeo non proſternemur; quin imo, prima ſenſus commotione compoſita, prudenti conſilio recreabimur. Etenim ſi aliqui umquam inter claros homines triplicem, quam diximus, immortalitatem ſunt aſſecuti, hic ipſe Hercules his cunctis addendus eſt, vel potius præferendus. Primo, quod ejus mentem Superi benigne re-

ce-

ceperint, iis ſignis exiſtimamus, quæ habentur potiora, prout poſſunt inferiori in hoc Orbe cognoſci. Fuit enim Religionis obſervantiſſimus, omneſque ſuas actiones, præmiſſis omnibus, quæ ad Divinum cultum, & ad Chriſtianæ pietatis ritus ſervandos attinerent, ſemper inchoabat, proferebat, perficiebat, eique omnia eſſe profana profitebatur, quæ a pulchro hoc inſtituto recederent, ac tamquam exemplum ſuis populis expoſitum univerſos in ſe contrahebat, quorum ſalutis, Deo auſpice, auctor innumerabiles ſempiternas proborum vitas amplexabatur. At vero ſive amabili ſermone pios alloqueretur homines, ſive pauperes larga elargitione ſublevaret, ſive inter ſcopulos in Catholici Dogmatis fluctibus Urbes ſuas ſancte regeret, quis eo cum Cœleſtibus conjunctior? Nam quemadmodum vas, quod ſuaviſſimo odore imbuetur, oportet eſſe prius nitidum, nullaque labe inquinatum; ita Hercules Divina gratia illuſtrandus a cogitationibus, actionibuſque ſuis continuo tenebras procul fundebat; iis certe radiis, eo ſplendore, ut ejus lux, quæ in ſupremo lumine effulſit, huc etiam de Cœlo infinitis propemodum ſcintillis in noſtros animos elaberetur. Immortali vero fama, dum adhuc mortalis eſſet, fruebatur. Videbat enim, ſe tum pace, tum bello optimi Principis partes abſolviſſe, & ſæpe in rebus arduis non levia, ſed dura pericula ſuperaſſe, quod vel primo, difficillimoque ejus Principatus ingreſſu facile declaratur, cum ſcilicet Cæſaris ſententia, quam de univerſæ hujus Ditionis poteſtate protulerat, a Clemente recuſata, creatoque Paulo Tertio Pont. Max. Alphonſus ejus Pater e vita deceſſit. Per hoc enim tempus Hercules ob ſui Regni novitatem, ac novi Pontificis Regnum in graviſſimo diſcrimine verſabatur. Ut vero Romam petiit, Paulum eſt allocutus; Neapolim perrexit, Carolum convenit; ut rebus adverſis fortiter adverſatus ex nodorum involucris evaſit, magnum ſuæ prudentiæ teſtimonium præbuit, expectationemque maximam concitavit, quæ ab altis hiſce radicibus educta ſupremum attigit cacumen. Negotiis vero cum Henrico ad Taurinos opportune confectis, nulla Cæſaris ſuſpicione, qui perpetuo illum ſibi amicum prædicavit, Brixillo in belli anguſtiis libentiſſime illi tradito, ita ut admirabilis hæc fuerit Herculis æquanimitas, & tertia quædam regimi-

nis ratio, neque Gallorum Regi, neque Carolo adjuncta; utrique tamen gratissima. Adde Julium Tertium; adde potentissimum Florentiæ Ducem; adde finitimos tumultus. Quibus temporibus cum totus terrarum Orbis, & potissimum tota Italia bello exarderet; cum Hetruriæ flammas ipse de suis Apenninorum castris spectare posset; cum Parma & Mirandula circumquaque premerentur, atque hostis igni, ferroque agros vastaret; cum tantum Transpadanæ oræ incendium in tecta nostra impenderet, ut neque Cispadana ab ipso Pado servaretur, Herculis veri monstrorum domitoris virtute non incolumes solum, sed de more Patrio in libero externorum commercio, in solitis literarum studiis, in annua ludorum recreatione tuti, atque felices exultabamus. Hac autem Civili prudentia hic prudentissimus Princeps Magistratus optimos, & ad justitiam tutandam, quam toto animo colebat, & ad rerum dubiarum administrationis consultationem creavit. Gymnasia, vocatis Philosophis, Jureconsultis, & Medicis, qui primos Italiæ suggestus tenebant, erexit; superba tecta, ac Templa construxit; collibus, viridariis, nemoribus, rivis, atque hujusmodi amœnis locis tam pulchre ab illo ædificia sunt decorata, ut natura in hac regione se ab arte fuisse superatam sponte fateatur. Urbes & ampliora castra, quod opus sibi proprium vendicabat, non minus continuo, atque ingenti sumptu, quam egregie, & firmiter, communivit. Atque huic pacis officio morum virtutes, artesque liberales applicavit. Erat enim clementissimus; ut æquitate semper judicabat lenissima; tum vero præcipue, cum capto furente homine, qui insidias in eum sæpe tetenderat; etsi adversus ejus votum res successit; illum salvum esse voluit. Ab hac benignitate affabilitas disjuncta esse non poterat, qua placidissime suos familiares, ac Cives fovebat, hospitesque recipiebat non sine illa oris majestate ac venustate, qua priscis temporibus Jupiter erat effictus; omnes autem quasi aureis catenis sibi devinctos, in quam partem mallet, subito trahebat. Neque a perpetuo hoc amabilitatis cursu recedebat liberalitas, non ob multos muneribus quidem amplis cumulatos, sed opportunis atque invidiam superantibus. De magnificentia tum domi, tum foris clara atque augusta quid angusto turbulenti hujus temporis articulo comme-

morem? Quid de celeberrimo ejus comitatu, deque Regio apparatu, ac munificentiſſimis impenſis, cum Ludovici Duodecimi Gallorum Regis Renatam filiam in Gallia in uxorem duxit? Quid de illuſtri ſimili actione, cum Venetias navigavit? Quid de eadem, cum Philippus tum Hiſpaniarum Princeps Mantuam pervenit ad Belgas Carolum Patrem conventurus, & Hercules illi obvius occurrit? At vero viget etiam, ut nunc reliquos omittam, Pauli Tertii in hanc Urbem ſplendidiſſime recepti adventus; ac niſi [heu miſerabilem caſum!] acerbus nunc dolor noſtros animos perſtringeret, quia Pontifex Max. vidit ſuam Romam in hanc Urbem converſam, vigeret etiam illa publica hilaritas; vigerent illi feſti dies; vigerent illa hoſpitia de more triumphorum celebrata. Noſtri Principis eloquentia, quæ cum laudandis aliis artibus poſt ſuperiores virtutes ſubſequitur, quanta fuerit, ejus domeſtici ſermonis, ac literarum, quas ſæpiſſime dictabat, recordatio me nunc eloqui non patitur. A puero Hetruſcam, & Latinam puriſſimam pleno ore hauſerat, unaque utriuſque linguæ Poeſim, cui muſicam, picturam, & equeſtre armorum exercitium pulcherrime adjunxerat, magna profecto feracis ingenii ubertate; ac admodum adoleſcens pro Alphonſo Patre ad Adrianum Orationem habuit, qua aureum illud dicendi flumen pollicitus fuit, quod deinde influxit in aures, & mentis penetralia Julii, Marcelli, Pauli utriuſque, Caroli, Franciſci, Henrici, Philippi, Maximiliani, Senatuſque Veneti, cum ad hos Principes ſe contulit, & cum illis tum publicum, tum privatum ſermonem fecit. Atque hæc quidem pacis tempore; belli autem eo major evaſit, quo minus proſpera uſus eſt fortuna. Ubi enim creatus eſt ab Henrico Prorex, & a Paulo Quarto, Regeque ipſo eorum exercitus Imperator, continuo orta Romæ diſſidia. Ad ſanctum Quinctinum Momorantii copiæ oppreſſæ; & Dux noſter ſolus quaſi in manibus potentiſſimi hoſtis. Nam Franciſcus Lotharingius cohortes, & equitatum, quibus inopinata celeritate admirationeque incredibili Grajas Alpes, & Apenninum ſuperaverat, jubet magnis itineribus in ulteriorem Galliam contendere; quam celeritatem Regia res adverſa maxime poſtulabat. Itaque Pontifex ſibi ſubito Hiſpanos conciliat; Briſacius, qui Inſubres pre-

mebat, a suscepta provincia ob Gallicum bellum desistit; solusque Dux noster, quod ita necessitas ferret, relinquitur, & maximi Regis tum victoris veteranis legionibus, atque equestribus turmis circumdatur. Neque illi studium, quo pro sancta Ecclesia tam sollicitus fuerat, tam lubenti, ac generoso animo suam Ditionem, suum caput inter mille dimicationes mille adversitatum telis, ac prope excidio objecerat, quicquam proficit. Non tam longinquis, quam propinquis, & finitimis auxiliis destitutus, suo ære, suo consilio, sua virtute, re frumentaria, bellico apparatu Helvetiis, Aquitanis, Italisque militibus propugnacula, Urbes, aditus munit, nova Oppida in suorum fronte, & in hostium oculis improviso construit. At sua tantum servat. Sed & hostes ea sola sententia prius aggressus fuerat, ut sua tantum servaret. Quod factum miserorum temporum, maximorum Regum, optimi propositi, & sævissimæ fortunæ ratione habita, egregium admodum dici poterit. Tandem vero, postquam diuturnum, atque in dies intensiorem impetum sustinuit, re sua integra, atque incolumi, honestissimis, & Regiis conditionibus cum Philippo mentis acumine, & virtute dexteræ, imperioque etiam Philippum, & Alexandrum Macedones æquante, pacem init. Tertia est naturalis immortalitas, quæ ex natorum propagatione homini accedit, qua æque, ac duabus superioribus, divina scilicet, atque humana, Hercules de morte triumphavit. Mares enim & fœminas ex primo Valesii sanguinis rivo suscepit, in quorum nepotibus vitam, quam a tam longo seculorum ordine servata semper Principum serie eduxit, in sempiternum ævum producet. Mares, inquam, & fœminas ex vere Regio sanguine suscepit, tanta felicitate, ut nulla ætas filios virtutibus corporis, atque animi illustriores viderit. Horum, Viri clarissimi, hic Princeps gnatus Parentem ipsum reddidit beatissimum, qui splendorem suum non modo non extingui, aut comminui, sed in tanto Principe vigere, atque amplificari, antequam oculos suprema die occluderet, prospexit, atque perspexit. Siquidem hic ipse Alphonsus ejus filius, qui Parentem mœstissimis, atque amplissimis hisce Inferiis pie prosequitur, longinquas terrarum oras peragravit, plurimarum Urbium mores vidit, potentissimorum Regum fuit intimus familiaris, diversa prælia

subiit,

ſubiit, gravia perpeſſus eſt infortunia, ut Civili prudentia excelleret; ut Regia amplitudine eluceret; ut ſuos populos præclare regeret; ut univerſæ Chriſtianæ Reip. ſi opus eſſet, conſilio, manu, ope, vitaque ipſa præſto adeſſet. Itaque puer adhuc, deliciis omnibus ſpretis, incitato curſu e Patriæ, Parentumque ſinu ad Henricum Regem optimum, atque fortiſſimum, ejuſque fraterno amore amantiſſimum in dura militiæ rudimenta properavit. Poſtea vero quam in Ambianis, quam ad Vertodunum claruerit, & ſecunda Gallica peregrinatione, cujus ponderis negotia ſuſtinuerit, & tertia, e qua nunc redit, quo gradu in caſtris ſit inſignitus, non refero, ne præſenti Principi præſens proprias laudes, quamquam ſemper & ubique extollendas, explicem. His de cauſſis, Viri clariſſimi, Herculem beatiſſimum iterabimus. O beatiſſimum Herculem numquam interiturum! O felicem ejus obitum, qui eo tempore ex hac vita deceſſit, cum filium ad imperandum aptum videt, cumque quietum Regnum quietioribus habenis moderatus turbulentum regimen gloriæ præmio eſt expertus. Ubi mentem ſenſit Cœlo potius, quam terræ inclinari, atque infigi, ſenectutis, ægrotationum, & miſeriarum morbo amiſſo, lucrataque triplici perpetuitate, tranquillo ſpiritu hinc ad Superos evolavit, anno hoc Orbis Regnatoribus fatali; videlicet Pontifici, Cæſari, Regi Chriſtianiſſimo, Reginis Pannoniarum, ac Britanniæ, & Venetæ Reip. Principi. O tantis muneribus beatiſſimum Herculem. At vero o nos miſeros, atque infelices tanto ſplendore, tanto Principe, tanto Patre orbatos. Per hanc lugentem aram, per funeſta hujus loci indumenta, per tot lachrymantia funalium lumina vos oro, atque obſecro, Viri clariſſimi, ut Ducem noſtrum in memoriam revocetis, ejuſque effigiem veſtris oculis intueamini; per viduatam domum, per veſtrum hunc ſqualorem, per hanc ejus ſepulchri imaginem rurſus vos oro, atque obſecro, ut quam nobis affabilis, quam omnibus benignus noſter Dux eſſet, & quam aſſiduo labore, quotque vigiliis pro ſui populi ſalute inſudaret, mente evolvatis; ſuaviſſimam ejus vocem, qua quemque ſuorum Civium nominatim ſerena fronte compellabat, numquam de animo deponatis; neque permittatis, mortem illius Viri formam ac ſimulachrum corrupiſſe, cujus integram virtutem hi parietes,

hæc Civitas, Italia universa, totus hic denique terrarum Orbis eloquuntur. Quorsum hæc? Quo ego rapior? quo feror? Hinc hujus desiderium me graviter angit; hinc Patriæ pietas me nihilo levius sollicitat. O in diversas partes distractum animum. Adeo totus in superstitem, & in defunctum Herculem inhærebam, ut ego mei immemor, vos clarissimi Viri, vosque optimi Cives ipsius Herculis præsentiæ, atque meritorum memores ad memoriam de illo excitandam incitare voluerim, quasi mœrentibus mœror addi debeat, desolatis desperatio. Quoniam vero Deus Opt. Max. solemnis hujus cæremoniæ præses hoc aulæ Sacellum admirabili virtute perfundit, mens mea magno sopita languore ita Divina ope recreatur, ut, excusso humano, ac terrestri affectu, libere erigatur, rectoque judicio consistat; & me ad Alphonsum Secundum fortissimum & prudentissimum Ducem convertat; ut vobis illum e Galliæ Regia, e belli tumultu, e pacis triumpho redeuntem aviti Regni Principem, propria virtute Dominum, verum vetusti temporis Heroem ostendam; vos ad illum tamquam ad secundum Herculem contemplandum accendam, vos propterea ad serenandum turbatum animum cohorter. Quod plane efficerem, nisi vestra prudentia vos esse suffultos mihi satis esset perspicuum. Namque non minus hanc Urbem felici moderamine fore tutissimam, ac tranquillissimam, quam Herculem de Cœlo Alphonsum Filium hilari vultu spectare existimatis. Dixi.

LA

LA CREATIONE

DEL SIG.

DONNO ALFONSO II.

DUCA QUINTO DI FERRARA.

ESſendo arrivata la nova al Sig. Donno ALFONSO da Eſte Principe di Ferrara, che ſi trovava alla Corte del Re Chriſtianiſſimo a Eclaron, che il Duca ſuo Padre a tre dì d' Ottobre di queſto anno MDLIX. era morto, egli mandò il Sig. Cornelio Bentivoglio a Ferrara appreſſo Madama ſua Madre per provedere a tutto quello, che poteſſe occorrere per difeſa & conſervatione di tutto lo Stato infino all' arrivo ſuo; & eſpediti alcuni negoci s' inviò per la Borgogna verſo Marſeglia, ove imbarcatoſi giunſe a Livorno: & di lì col Duca di Fiorenza ſuo Suocero infino a Caſtelnuovo di Garfignana; & quivi licentiatoſi caminò ſempre per lo Stato ſuo. Al piè del monte il Sig. Donno Alfonſo da Eſte accompagnato da Cavalleggieri, & da una gran compagnia di Feudatari, & di Gentil'huomini andò ſontuoſamente al poſſibile ad incontrarlo, & poco dipoi il Sig. Lodovico Pico Conte della Mirandola, c' havea con ſeco un buon numero di perſone honorate andò parimente a fargli riverenza ſopra Saſſuolo; ove dal Sig. Hercole Pio Signore di tal Terra, che gli era ito in contra a mezzo all' Alpe, fu co' detti perſonaggi, & con tutta quella Nobiltà ricevuto, & alloggiato molto ſplendidamente. Et venendo poi a Buonporto trovò tutta la ſtrada piena d' huomini d' ogni qualità, ch' erano uſciti fuori di Modona per vederlo; per modo che quaſi quella Città era rimaſa vuota, & continovatamente per il camino ſopraggiunſe ſempre nuova gente: infin a tanto, che a ventiuno di Novembre in ſu l' imbrunire della notte arrivò a Belvedere, che è una belliſſima Iſoletta quaſi congiunta con Ferrara, ove era aſpettato da ſuoi Magiſtrati & Gentil'huomini nel vago

Pa-

Palazzo di essa Isoletta, nella quale egli entrò per un ponte spatioso & ben ornato, che si fece all' improviso; in capo del quale era un grandissimo Arco, sotto cui passò con tutta la compagnia. Et il giorno seguente, ch'era il suo Natale, esso Signore fu gridato Duca per tutta la Città con grandissima festa di tutto il popolo. A ventisei, che fu di Dominica, la mattina per tempo il Conte Galeazzo Estense Tassone Giudice de Dodeci Savi della Città di Ferrara, chiamati al suo ufficio i Dodeci Savi, & i Gentil' huomini della Terra, fece loro intendere, come era morto il Duca Hercole di felice memoria, & come conveniva confirmar la successione di Donno ALFONSO suo primogenito & successore. Et fatta che fu l' accettatione, il Notajo di questo ufficio publicò a suon di trombe, qualmente esso Signore succedeva al Duca suo Padre. Il detto Giudice in un grave habito d' honoratissimo Cavaliere menando con seco i Dodeci Savi vestiti di mantelli lunghi di velluto morello foderati di raso carmesino, & con una grandissima comitiva de' Nobili della Terra andò a Belvedere a trovare il nuovo Duca, il quale in una Loggia tutta coperta di broccato sedea sopra un palco poco alto da terra, & sotto una ombrella; & era vestito di tela d'argento; & havea a torno un gran manto pur di tela d' argento foderato d'Armelini; & in capo la berretta secondo l' uso de' suoi Predecessori, sopra cui era una corona Ducale carica di Diamanti, di Rubini, di Smeraldi, & d' altre pretiosissime pietre, & di Perle mirabilissime, la qual corona passava la valuta di trecento mila scudi. Et dall' una banda, & dall' altra stavano i personaggi dello Stato, & della Corte. Et così il Sig. Giudice trovatolo in tal modo, se gli inginocchiò a i piè, & gli annuntiò la volontà del popolo di Ferrara, pregandolo a volere essere ad esso popolo così amorevole & giusto Signore, come esso gli sarebbe sempre divotissimo, & fidelissimo Suddito. Et detto questo gli presentò uno Scettro Ducale, & una Spada. Il Duca dopo havergli dato una benigna risposta, pigliando l' uno & l' altra, tenne per se lo Scettro, & diede la Spada al Sig. Cornelio Bentivoglio. Et finita la Cerimonia, & datosi nelle trombe, se gli appresentarono tre Maestri di stalla; de' quali uno gli condusse un gran Corsiero tutto coperto di tela

d'ar-

d' argento alla similitudine dell' habito, di che era vestito, & due altri gli allacciarono li speroni. Salito che vi fu sopra, egli dipoi uscì di Belvedere sotto l' Arco, & il ponte, c' habbiamo detto; nel qual tempo si spararono cento cinquanta pezzi d' Artiglieria, ch'erano distesi lungo la riva del Po, & ognuno incominciò a incaminarsi verso il ponte di Castelteaido, & l'ordine dell' incaminarsi fu di questa maniera.

Cento Putti coronati di lauro, & di fiori di seta, c' haveano camiscie d'ormesino bianco cinte ai fianchi, con bandiruole in mano turchine, & gialle, che sono i colori d' esso Signore, & con l' arme Ducali. Et dietro a loro

Otto Pifferi vestiti alla pastorale, che sonavano; & i Putti gridavano Alfonso, Alfonso, Duca, Duca.

Mille Archibugieri, & cinquecento armati di corsaletto, vestiti di detti colori.

I Cavalleggieri della guardia sotto il Capitano Taliano Furlano.

Paggi ventiquattro condotti da due Cavalcatori sopra corsieri guarniti riccamente di seta & d'oro in varie foggie; però a due a due in concerto.

Trombetti sedeci.

I quali Cavalleggieri, Paggi, Cavalcatori, & Trombetti erano vestiti di velluto turchino con larghi & grossi ricami d' intorno, che servivano per il color giallo.

Tutti i Feudatari, & i Gentil' huomini, che erano da circa mille, tutti con veste & con fodre honoratissime sopra bellissimi cavalli mirabilmente ornati, & con Paggi, & Staffieri in gran numero vestiti con molta sontuosità. Veniva dipoi con qualche intervallo

Il Conte Nicolo Estense Tassone Maestro di Casa vestito ricchissimamente, che portava il bastone, & alquanto distante

Il Sig. Cornelio Bentivoglio pur adobbato superbissimamente, che portava la Spada.

Poi il Duca; & alla destra il Sig. Donno Alfonso da Este; & alla sinistra il Conte della Mirandola; & a canto al suo cavallo givano a piè i tre Maestri di stalla detti di sopra; & alquanto avanti ad essi ventiquattro Staffieri vestiti come i Paggi; & dall'una banda della sua persona erano cinquanta Svizzeri, & dall'altra cinquanta Lanzchnechi,

nechi, tutti vestiti di tela d'oro; & di velluto turchino.
Seguivano i Vescovi, & i Magistrati, ch' erano
Monsig. Giulio Sertorio Arcivescovo di santa Severina;
Monsig. Scipione da Este Vescovo di Casale;
Monsig. Alfonso Rossetti Vescovo di Comacchio;
Monsig. Giulio Tombese Vescovo di Ravello;
Il Giudice de dodici Savi;
Il Podestà;
I Consiglieri di Segnatura;
I Consiglieri di Giustitia;
I Secretari;
I Fattori.
Tutti questi da robba lunga adobbati di fodere di gran pretio; & dietro ad essi
Il Collegio de' Leggisti;
Il Collegio de' gli Artisti;
Et i Dottori di questi due Collegi erano vestiti di robbe di velluto nero; & chi sopra a Chinee, & chi sopra mule; ma però in concerto.
Il Collegio de' Procuratori.
Il Collegio de' Notari.
Molti Cittadini della Terra montati a cavallo per honorare il Duca. Nell'ultimo gli huomini d'arme guidati dal Conte Camillo Montecucoli con arme dorate, & con gisacche turchine, cariche tutte di ricami d'oro, & con penacchi molto suntuosi ai cimieri, & alle teste de' cavalli, ch'erano benissimo abbardati.

Oltre tutti questi vi era il Capitano Moretto da Lucca, huomo facetissimo, & monarca nella sua professione, vestito in un pomposo habito all'antica, il quale andava sopra un cavallo ornato alla medesima foggia; scorrendo ove più gli piacea, trattenendosi hor quà, hor là con diverse argutie.

Il Duca arrivando al ponte di Casteltealdo, mille Archibugieri oltre a i sopradetti fecero ala: & fatta una salva furiosa, tutta l'Artiglieria fu di novo sparata, & nel giungere alla porta passò sotto un magnifico Portone, & fu scontrato da cento giovani buoni Cittadini della Terra vestiti di raso bianco ricamato d'argento con robboni di velluto nero, i quali il tolsero sotto un Baldacchino di tela d'argento; & all'hora li Staffieri diedero luogo ad essi giovani; & andarono a mettersi dinanzi a i Paggi inviandosi a due a due.

Il

Il Duca entrato nella Terra trovò il Clero, & i Frati della Città, & i Maffari delle arti co' loro Confaloni; i quali tutti nel paffaggio fi fecero da banda, & lafciarono andare oltre ognuno.

Il camino fu da Caftelteaaldo giù alla volta di Santo Stefano, & per la via grande in fino alla volta de' Taffoni; & poi per fu la Giarra infino in capo voltandofi per ufcire a Santo Andrea; & de lì a Schivanoja dai Cappuccioli alla volta di M. Alfonfino Trotti infino al cantone di San Francefco piegandofi alla Giudecca verfo il Caftello, & dalla Campana alla Piazzetta, & in Piazza; ove dopo la falva di mille altri Archibugieri, ch' erano alla guardia della Piazza, di nuovo fi fparò tutta l' Artiglieria; & paffando il Duca per mezo al Clero, & a Frati, & a Confaloni delle arti entrò in Vefcovato; alla porta del quale era il Protonotario M. Francefco Martelli Vicario del Sig. Don Luigi da Efte eletto Vefcovo di Ferrara co' Canonici; & entrato che fu, s' inginocchiò fra Monfig. Roffetti Coamminiftratore, & Monfig. Tombefe Suffraganeo; & fopra gli fu cantato un Salmo; & poftia fu condotto all' Altar maggiore, ove alla banda del Vangelo ftette fopra un palco baffo tutto coperto di broccato fotto una ombrella pur di broccato a udire una Meffa detta dal Suffraganeo, & cantata folennemente con mufica di cornetti; & l' Arcivefcovo di Santa Severina portò il Vangelo, & la Pace al Duca; & finita la Meffa, il Sig. Giudice de' Dodici Savì andò a inginocchiarfegli dinanzi, & a giurarli Fideltà in nome del popolo; & dipoi nell' ufcire, che fece del Domo, per andare al Caftello, gli Archibugieri fecero un' altra falva, & in un medefimo punto il Duca comandò, che fi apriffero tutte le prigioni; & che fpecialmente fi lafciaffe il Sig. Don Giulio fratello del Duca Alfonfo fuo Avo, il quale fon cinquanta due anni, che fu pofto in Caftello.

Gli Archi fatti dal popolo di Ferrara, per li quali pafsò il Duca, furono negli infrafcritti luoghi.

Al ponte di navi fatto a Belvedere fopra il deftro ramo del Po.

In Capo al Ponte di Caftelteaaldo.

A quattro cantoni del Palazzo del Conte Alvarotto.

A quattro cantoni del Palazzo dei Cati.

Alle

Alle Gabelle.
Alla volta de' Carri.
Al Palazzo del Conte Galeazzo Estense Tassone.
In capo alla Giarra contro alla Montagna.
Alla Rovere di Santo Andrea.
A Schiavanoja verso Santa Maria del Vado.
A quattro cantoni del Palazzo di M. Alfonsino Trotti.
Al Sacrato di San Francesco.
In su la Giudecca verso Santo Spirito.
Alla Campana diritto al Castello.
In Piazza alla Banca della Guardia.

Di questi Archi alcuni erano tutti cavi fatti a colonnate; alcuni quadri con quattro portoni; & alcuni larghi scoperti nel mezo, & quali erano con altissime cupole, & quali havevano in cima i veroni, che venivano in fuori, & quasi tutti ornati, & carichi di statue, di pitture, & d' inscrittioni nel proposito della Creatione del Duca, & altri havevano dentro varie musiche, & massime delle strepitose; come di cornetti, & di tromboni; & altri salutavano con codette il Duca all'arrivo, che vi facea.

Similmente le strade, per le quali si fece l' entrata, erano addobbate dall' una banda & dall' altra di bellissima razzeria, in cima alla quale erano poste l' arme Ducali, & le Aquile bianche con proportionato intervallo; & quelle, ch' erano appese ai Palazzi dei Gentil' huomini erano messe a oro, & circondate di festoni di seta, & dai veroni, & dalle finestre de' Palazzi medesimi si udivano diverse soavissime musiche.

Oltre a gli Archi, & all' Apparato, che abbiamo detto, vi si vedevano molto notabili ornamenti posti in più luoghi; perciò che il ponte di Casteltealdo dall' una banda & dall' altra havea tre ordini di colonne l' uno sopra l'altro, & in cima alternatamente vi erano figurine, che imitavano il marmo, & il bronzo, & nei proportionati spaci di esse colonne doveano porsi bocche di Drago, di Salamandra, di Gigante, & altre cosi fatte, che gittassero fuori fuochi artificiati, & razzi de più colori, de' quali parte andasse a risolversi per l'aria in alto, & parte andasse all' acqua, & dentro con grandissimo strepito vi ardesse. Ma si tardò tanto a far la deliberatione di questa entrata, che non vi fu tempo; il che fece, che s' interrup-

ruppero ancora molte altre cose concertate per la medesima solennità.

Dinanzi alla porta del Palazzo del Sig. Cornelio Bentivoglio era un gran Cavallo finto con grande arte, & Pallade, & Mercurio insieme il teneano per la briglia, con lettere al piè, che significavano, che questo Corsiero fu sempre conservato senza che alcuno il salisse, infino a tanto che era venuto un Principe degno di possederlo; & vi era un' altro moto, che mostrava, che il Cavallo non meno è indicio delle attioni della pace, che di quelle della guerra. Dinanzi a questa machina stavano la Fortezza, la Clemenza, la Liberalità; & di dietro la Disciplina, la Concordia, & l'Abondanza; & le tre prime virtù haveano un breve, che si riferiva alla propria vita d'un Principe magnanimo; & le tre ordinationi contenevano una scrittura, che havea riguardo al publico, di che un Principe prudente si dee pigliar cura. Et passando il Duca si fece una grande & impetuosa salva d'artiglieria nel Cortile di esso Sig. Cornelio.

Si vedea parimente con vaghezza mirabile la porta del Palazzo del Conte Galeazzo Estense Tassone ornata di colonne, & di volti, & di compartimenti molto vaghi; tra quali erano sei nicchi, tre per banda, & dentro sei Colossi, che ancora essi rappresentavano la perfettione dello stato Civile & Regio, i quali insieme con le inscrittioni, & insieme con gl' altri ornamenti della Terra, & con gli Archi si metteranno in disegno appartatamente.

Ne è da lasciar di dire, che alla porta del Castello, per la quale il Duca entrò, erano dirizzati Trofei, & Termini con diverse statue, poste sopra alle basi alle mura, che sono verso le Pescarie. Il che oltre alla sua propria magnificenza piacque ancora per rispetto delle musiche molto bene ordinate, & d'una stupenda furia d'Artiglieria, che di poi fu scaricata d'intorno al Castello.

La sera si fece un bellissimo banchetto, ove erano quasi tutti i Feudatari, & i principali Gentil'huomini, & tutta la Corte fu addobbata di razzi d'oro, & di seta, parte a figure, parte a grottesche, & parte a Paesi; fra quali erano quei della Pastorella, che furono dei Re d'Aragona. Questi son razzi altissimi per fornire ogni maggior Sala, che si ritrovi, fatti con l'ago solo, & non

con

con altro, & l' Historia è distesa per modo, che vi si veggono campagne, foreste, riviere, fontane, colline, Città, & persone in grandissima copia; a piè, a cavallo, per viaggio, in Corte, alla caccia, in negoci, su giuochi, nella guerra, & in diverse guise con più sorti d' animali, d' alberi, d' edifici, & d' ordegni, con tutti que' più varii soggetti, che possano occorrere a vedersi, nè sono d'altra materia, che di seta d'argento, & d'oro, & come tutto il disegno imita tanto il naturale, quanto ha potuto comportare l'artificio di simil opera; così i velluti, i ricami, & i colori sono disposti a i luoghi convenienti con giudicio miracoloso; tal che gli huomini & le donne pajono essere di rilevo, & havere gli habiti loro, come si portano precisamente. Di questi razzi era tapezzata la Sala della Racchetta, ove si cenò.

Orationem Bartholomæi Riccii ad Alphonsum Ferrariæ Principem eo die, quo Princeps, & Dux Ferrariæ creatus fuit, vide in Tomo primo Orationum Bartholomæi Riccii.

GAS-

GASPARIS SARDI

EPISTOLA,

Qua apud candidum Lectorem de quodam erudito Viro juste conqueritur.

COgitabam multum, diuque mecum animo volvebam, Lector candide, num ego, qui in provecta ætate constitutus Atestinorum, Estensiumque Principum Commentaria jamdiu excudo, cujusdam eruditi Viri epistolæ ad HERCULEM ATESTIUM FERRARIÆ PRINCIPEM inscriptæ, typisque excussæ responderem. In qua si scripsisset, se opinari Principum nostrorum cognomen esse Atestium, nec eos, qui Estenses vocant, barbare loqui & scribere affirmasset, mea utique responsio vel audax, vel importuna videri potuisset, cum nonnulli in hac feliciórum ingeniorum ætate sint præclarissimi Viri, qui Atestinos & Estenses vocant; ego autem unus, stylo minus quam mediocri, ausus fuissem eleganti hujus Viri epistolæ reponere, præsertim cum nulla nominis mei in ea habeatur relatio. Verum cum sæpius de cognomine Atestio coram locuti fuerimus [ut sibi testis est eruditus iste] luceque meridiana clarius intellexerit, me præclarissimas Estensium Principum res gestas literis jamdiu mandare, eosque Atestinos & Estenses nuncupare, tacito licet nomine meo, intelligere, aperteque perspicere potui ex his, quæ subjiciam, hunc Virum penes Principem nomen meum perstringere, ignobileque reddere attentasse. Quid enim mediusfidius aliud est barbare loqui, nisi crasse, depravate, frigide, inepte, sordide, & contra Romani eloquii elegantiam loqui, ac scribere? quo convitio homini semper in literis versato nihil majus, nihilque detestabilius impingi posse arbitror. Pluribus itaque aliis caussis a me commemorandis efficere conabor, ut Lector, quisquis fuerit, probe intelligat, me hunc Virum numquam læsisse, nec lædere cogitasse. Quare nescio quo spiritu impulsus in nomen meum tam impie de-

debacchatus fuerit. Sed quoniam ea, quæ hujus Viri epistolæ reposui, typis mandata non fuere, [ut Lanfranco Gypsio Jureconsultissimo, supremoque Fisci Procuratori morem gererem, qui huic Viro non vulgari junctus est familiaritate] compendiose nunc colligam, ut me ab eo provocatum, injusteque lacessitum fuisse, probi omnes intelligant.

Dixi, Atestium cognomen esse inauditum, cupiens ab eo doceri, an eruditus quispiam id cognominis umquam scripserit. Nam cum Estensium Principum Familia supra mille centum viginti duos annos continenti in eadem stirpe Imperio permanserit, nemo tamen mortalium umquam ausus fuit hanc vocem literis mandare. Si vox hæc est inaudita: ergo barbara, quam jocose interpretatus sum sine testibus. Barbarum quoque esse Gonzaghium, Rizzum, & Vincenzum scripsi. At novus iste Censor cum dixit, nomen, quod vere nomen est, apud Latinos vocem suam terminare in *jus*, nec umquam aliter fieri, id est falsum, si de proprio nomine intelligit. Duo de quadraginta enim Romanorum nomina propria adduxi, ni fallor, voces suas in *jus* non terminantia. Si vero de nomine cognationis, aut familiæ, id etiam falsum esse scripsi. Tredecim enim Romanorum familias commemoravi, quarum nomen in *jus* non desinit. Sed hoc præfixo, non tamen concesso, dixi, hunc vetustiorem Romanorum morem supra mille & quingentos annos jam abolitum, antiquatumque fuisse ab Imperatoribus. Ostendat igitur is doctus Vir, quanam auctoritate velit a nobis hodie servari. Id profecto non video, supraque ejus vires esse arbitror. Affirmavi, Atestinam vocem esse Latinam ex sententia Cœlii Rhodigini, Petri Bembi, Pauli Jovii, ac Strozæ patris & filii. Scripsi, Estense cognomen non esse barbarum, ut per eum dicebatur. Quam vocem Sabellicus, Longolius, Pontanus, Aldus Manutius, Cœlius Calcagninus, Baptista, & Alexander Guarini, Lilius Gregorius, Cynthiusque, Joannes Baptista Gyraldi, M. Antonius Antimachus, aliique duo de viginti non vulgaris nominis Authores, editis voluminibus, commemorant. Scripsi, Herculem & Ferantum esse nomina propria, non prænomina. Asserui, Hermolaum, Pontanum, Bembum, & Sadoletum, eorum cognomina Latine scripsisse. Resarcinatorem & navicula-

rium

rium Atefte natos ab hac perilluftri Principum Eftenfium cognatione excludo, dum addo Comites, Marchiones, Duces; at Hippolytum Eftenfem Cardinalem, fi Ateftis oppidi effet Antiftes, appellarem Ateftinum Epifcopum, & battologiam evitarem; Francifcum autem fratrem, Caroli Quinti Imperatoris Præfectum, Leonellum vero Marchionem; fed Borfium, Herculem, & Alphonfum, Ferrariæ Duces vocarem. Annam quoque Principem Eftenfem, Regiamque Fœminam dicerem, ab alia hujus nominis muliere Atefte nata excluderem [hunc tamen Virum, qui eruditiffimus eft, docere nolim, cum fim Hiftoriographus, non ludi magifter, etiamfi id enixe poftulet.] Commemoravi privilegia Pontificia, & Imperatoria annis abhinc fexcentis viginti octo Principibus noftris fub Eftenfi cognomine conceffa; qui Principes fi fe Ateftios, non Eftenfes appellarent, vereor, ne a juribus fibi conceffis aut caderent, aut cadere poffent. Peroravi ex Diocletianæ Legis fanctione, qua cavetur, unicuique licere Prænomen, Nomen, & Cognomen fuum mutare abfque alicujus tamen injuria; qua de cauffa plures retuli proprium nomen mutaffe, nec homini Latino imputandum effe dixi, fi velit barbaro nomine, vel cognomine appellari.

Hæc omnium fumma eft, quæ manu mea exarata ifti Viro legenda tradidit Baptifta Saracchus a fecretis Principis noftri, cum prælo, ut dixi, committere non poffem. Ego quoque Annæ Eftenfi Principi Illuftriffimæ, Gypfio, Alexandro Guarino, Bartholomæo Profpero, Saraccho, Cynthio Joanni Baptiftæ, Lilioque Gregorio Gyraldis, Ludovico Cato, Profpero Paxeto, M. Antonio Antimacho, & Fabio Filio, Francifco Porto Græcas literas apud nos publice profitenti, Jacobo Acciajolo, Comiti Alphonfo Bivilacho, Comiti Julio Sacrato, Ferdinando Trotio, Alphonfo Bonaciolo, nonnullifque aliis amicis, quę epiftolæ docti Viri hujus repofueram, & legenda, & recognofcenda tradidi.

Sed ut rem acu tangas, ut ajunt, Lector eruditiffime, fcito, hunc Virum fua vel humanitate, vel mutua familiaritate, quæ de Confilio Principis, de Abravanellio, de Ferrino, de Gallorum Rege typographis imprimenda tradiderat, mihi jamdudum dono dediffe. Sperabam itaque, hanc epiftolam ab eo me confecuturum, præfertim cum

ex Lilio Gregorio eruditissimo, atque integerrimo intellexerim, Amicum nostrum epistolam ad me deferendam dedisse Joanni Mariæ Carapho, cui, sicut ab eo accepi, non tradiderat; sin autem vel me, vel Gregorium, vel utrosque potius illudere voluerit, alii judicabunt. Duo etiam non prætermittenda duxi, hunc Virum hujus forsitan sententiæ oblitum dixisse postea Herculi Prinato: *Mea epistola venalis est, si eam vult Sardus, sibi emat.* Verum epistola minime erat venalis. Ad hæc Amicus ægre tulit, nec animi dolorem tegere, nec taciturnitate sua celare potuit, cum intellexit, Saracchum epistolam mihi tradidisse, cui dixit; *Nolebam, ut Sardo epistola mea innotesceret.*

Quæ posteaquam percepi, mecum investigabam, quorsum Viri hujus consilia tenderent. Mens enim mea nescio quid mali mihi præsagire, augurarique videbatur. Incuratum mox crepuit ulcus. En altera prodiit epistola, immo chartula a militari instituto parum discrepans, quam mendaciis & convitiis undique refertam cum vidissem, Gypsio de Viro hoc expostulavi. Cui Amicus noster fidem oppigneravit, quæ iterum imprimi mandarat, se Vulcano consecrare velle. Hujus Viri fides fluxa, ne dicam perfida, fuit. Ob mei namque hominis despicientiam, contemptum, ac dedecus, chartulam in vulgum mox spargere curavit, qua, tacito tamen nomine, me detractorem appellans, in tabernis, omnibusque Urbis nostræ angulis, & apud imperitam multitudinem, non solum insolenter me jactasse, militemque gloriosum fecisse: sed in eum quoque omnibus convitiis cum ore fœdissimo, tum etiam scriptis multo fœdioribus invectum fuisse, ausus est affirmare, typisque promulgare. Sed falso quidem commentitiis nugis, falsiloquisque verbis sibi blandiens, se a me provocatum fuisse affirmat. Nec his contentus mendaciis fatetur me liberum, & in libera natum Civitate, & tamen non veretur auctoritate, quæ in eo fortasse nulla est, ni fallor, mihi instar gregarii militis diem certam præfigere, qua mecum manum conserere possit, petens, quæ ei reposueram, ut prælis committerem, perinde ac si ei essem addictus; & si non paruero, pœna, inquit, esto, quæ pueris in ludo ob barbaras voces, malasque locutiones esse solet.

Tibi igitur, Lector eruditissime, Viri hujus consuetudinem

dinem perſpicuam eſſe arbitror, cum nulla a me laceſſitus injuria, in meum nomen ſic impie fuerit debacchatus. Vellem pariter vel abs te, vel ab eo intelligere, num Palatia, Ædeſque præclariſſimorum Virorum, quos paulo ante commemoravi, ſint tabernæ? aut Civitatis anguli? & an Viri illi ſint imperiti? ut in chartula ſcripſit Amicus. A quo quidem mendacio reliqua per te addiſces.

Cæterum, o Amice doctiſſime, ignoras ne, fabros fabrilia pertractare? ludique magiſtros hac pœna coercere ſolitos eſſe pueros, quos prima literarum elementa docent? Neſcio an antiquum inſtitutum tuum, quod profitebaris, coactus fueris a veritate fateri, te etiam invito? Ignoras ne, Ciceronem quinque ſpecies hominum commemoraſſe, qui certam faciunt fidem? licet tres referat Eraſmus doctiſſimus in Proverbio, *lingua lapſa verum dicit*. Sed dicite, quæſo, pueri tanto Præceptori veſtro deferentes, ut par eſt, quanam pœna vobis dignus videtur talis Magiſter veſter, qui in fronte Epiſtolæ ad Herculem Ateſtium neutro generi maſculinam vocem copulavit, ſcribens: *Nomen Eſtenſem?* Nec id impreſſoris eſt vitium. Nam poſt *Eſtenſem*, manu ſua ſcripſit, *Ubi multa de Prænomine, Nomine, & Cognomine diſputantur*. Vidit ergo, vel videre potuit *Eſtenſem*. Sed finiamus hanc fabulam. Vos interea valete, ridete, & plaudite.

Nec his contentus, tertio quoque auſus fuit, ante ſacrum Pentecoſtes Feſtum, hoc eſt XIV. Calend. Junii, chirographum ad me dare, cujus verba ad unguem referre volui, quoniam impreſſa non ſunt, ut omnes intelligant, quo ſpiritu, quave mente inſtar reſipiſcentis, ne dicam irriſoris, ſcribere voluit.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Gaſpari Sardio S. D.

Hac epiſtola animum Gaſparis Sardii ſibi conciliare conatur, veniamque eorum petit, quæ in eum multa oblocutus fuerat, ut videre eſt in Defenſione contra Gaſparem Sardum de Prænomine, Nomine, & Cognomine *in Tomo primo Operum Bartholomæi Ricci inſerta.*

DE me, Sardi, & peſſime locutus es, nec honeſtiſſime etiam ſcripſiſti. Ego vero utrique reſpondens, par tibi retuli, niſi quod mea honeſtior ratio fuit, qui provocatus tibi reſpondi; tua vero iniquior, qui nulla prorſus cauſſa in meum nomen & verbis inimiciſſimis, & ſcriptis etiam inimicioribus invectus es. Sed ut te ſum in cauſſa, ſic etiam in Chriſti Opt. Max. fide ſuperior eſſe volo. Cras de more meo eum in me ſum accepturus. Quoniam vero is ita jubet, ut prius iis recte conciliemur, quibuſcum inimicitias geſſerimus; ego tibi, quæ adverſus me oblocutus es, ea condono omnia, Chriſtumque Opt. Max. ut eadem tibi ignoſcat, rogo, teque contra oro, ut, quicquid a me extorſiſti in te, atque in tuum nomen, ne poſthac recorderis; ſed tu quoque Chriſto modo remittas, atque condones. Vale, & me ut Fratrem chariſſimum dilige, quem ego contra eodem modo valde amo.

Vides, Lector optime, novi hujus Cenſoris novum reconciliandi ritum, qui cum in nomen meum publice fuerit debacchatus, non veretur falſo ſcribere, me de eo peſſime locutum, non honeſtiſſime ſcripſiſſe. Sed narra mihi, quæſo, Frater chariſſime, coram quibus de te male locutus fuerim. Id enim falſum eſt, cum numquam de te male cogitaverim. Commentitia ſunt iſta, ab impoſtoribus, vel abs te conficta. Ego tibi Gypſium, Saracchum, Lilium Gregorium, Herculemque Prinatum commemoravi. Idem ut erga me facias, peto. Subdis; me de te non honeſtiſſime ſcripſiſſe. Profer in medium, quæ ſcripſi; ſunt enim penes te. Efficiam profecto, ut omnes intelligant, quæ in me innocentem evomuiſti, ſi non a malevolis, abs te conficta fuiſſe, ut te a me

pro-

provocatum fuisse scriberes, sed falso quidem. Dic rogo; quonam pacto? quibus verbis? quo loco? quibus conviciis te provocavi? Scripta autem tua impressa te ea fecisse coarguunt. Nihil mihi condonare potes, ut scribis, cum in nomen tuum numquam invectus fuerim. Erras, Frater doctissime, si privato chirographo tuo dedecus in me publice illatum aut contexisse, aut emendasse existimas. Inquit enim Apostolus. *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*, quod Augustinus interpretatur. *Si peccatum publicum fuerit, publice; si vero occultum, occulte est arguendum*. Non est hæc Christi Philosophia? Resipiscentia vera opus est, non irrisione. *Non prodest cuiquam a Deo petere veniam*, [inquit Pius Summus Pontifex] *ni mens ab iniquitate revocetur. Nam qui lateritium crudum lavat, quanto magis eum abluit, tanto magis lutum facit.*

Falso igitur scribis, tuam caussam esse mea honestiorem; nec intelligo, te in fide Christi superiorem me esse velle. Num fidem meam agnoscis, quæ soli Deo, qui scrutator est cordium, cognita est? Nonne fides est donum Dei? Idcirco Apostoli Christum deprecabantur, ut eorum fidem augeret.

Fateris, te inimicitias mecum gessisse. Ego vero te semper amavi, atque amo, nec intelligo, quid sibi velint illa verba. *Quoniam Christus ita jubet*. Nescio an intelligas; si Christus non juberet, reconciliationem non peteres? Nescio etiam cum dicis: *quicquid a me extorsisti in te, atque in tuum nomen, ne posthac recorderis*. Si numquam te læsi, nec lædere cogitavi, quid mihi vis condonare? quid abs te extorsi? nescio. Tuæ itaque partes erga me, quæ sint, etiam, me tacente, intelligis. Nam *juxta mensuram delicti, esse debet & plagarum modus*, ut Sacræ tradunt Literæ. Si sic faceres, ut Fratrem te Christianum diligerem, prout semper dilexi. Futura namque dies omnibus indicabit, si fueris irrisor, an resipiscens.

Sed quoniam nonnulla respondi ad Epistolam ad Herculem Atestium, ea commemorare decrevi, ut animum erga te meum omnes probi agnoscant. Scripsi: *non mihi vitio vertatur velim, si in literaria palestra ab hoco Viro eruditissimo dissentiam. Tradunt enim Sapientiores, veritatem multorum gladiis peti posse, at jugulari minime.* Subdens:

censeo itaque novam hanc opinionem examinandam, & absque verborum fuco, sententiarumque lenocinio discutiendam, cum veritas exotico non indigeat ornamento, nec sit Viro dignum, in variis sententiarum opinionibus amicitiam esse vel dissuendam, vel dilacerandam, prout fecit noster Amicus. Dixi; *si usus loquendi Atestium approbasset, sicut Atestinum & Estensem, doctum hunc Virum sequendum arbitrarer, nec puderet, me fateri hanc vocem hactenus ignorasse, quam ignoraveram.* Ideo non contradicendi, sed veritatis indagandæ gratia, calamum arripui.

Dixi: *Parvi refert, approbent, rejiciantve indocti, quæ scripsi, a quibus laudari nolim. Eorum namque laus vera laus non est. Ideo Epictetum Stoicum sequor. Silentium enim amo.* Nec reposuissem: *nisi tacite lacessitus;* cum scirem quicquam evomendum non esse, quod non sit concoctum; ne & nobis alii, & nos aliis risum pariamus. Mens enim mea augurari mihi videbatur, hunc Virum in mei nominis dedecus injuste insurrecturum. Ideo subdidi. *Instar vespertilionum, qui dum neque mures, neque aves sunt, utrumque tamen tentare audent.* Dixi præterea; *ego opinionum fallaciis, quasi morbis animi præcipuis refelli gaudeo, & abortivas malevolorum nugas facile contemno.* Qua de caussa Amico nostro immortales gratias agam, si ea, quæ me effugerant, amice supplebit. Fateor tamen, me semper velle Atestinos & Estenses Principes nostros appellare. Ipse, quo velit, cognomine vocet. Nec Viro isti rescripsissem, nisi ab amicis coactus fuissem. Historico enim non licet in his nugis bonas studii horas collocare. Fabulam igitur finiendam, receptuique canendum esse censeo. Vale.

BARTHOLOMÆUS RICCIUS

Ad Lectorem.

AB æquissimo animo tuo peto, Eruditissime Lector, ut ab hoc die sexto Idus Junii ad nonum Cal. Julii anni præsentis probe curare velis, quæ doctissimo huic Viro scripsi, ne auscultent Corycæi, aut Myonesii, sed in primis Pædagogi, Pedissequi, Sycophantæ, Pædomathæi, nec Pædotribæ, Archimagiri, Archontici, Mimallones, Bassarides, Tyades, Ogygidæ, nec Histrio-

nes,

nes, Pantomimi, Mimographi, Mimuli, Nebulones, Nugivendi, aut Nugigeruli, quibuscum Balbus, ut ajunt, tricatur. Minus enim de iis omnibus laboro, quam de ranis paluſtribus, ne videar cum Coryco luctari, & extra viam currere. Azanæa quippe mala odi. Nec ignoro, Naupactos excubias agere, qui profitentur ſe plus ſcire, quam ſciant, ut de Empedocle tradit Cicero. Quibus de cauſſis cataſtrophem mihi amplectendam, ſummum faſtigium imponendum, receptuique canendum cenſeo, ne Mandrabuli more res ſuccedant. Feli enim crocoton non conceditur, nec pro perca ſcorpius. Inſultent in noſtra hæc, Sardo maſtige, qui ea acriter reprehendent; potenter inſultent; vafre cavillentur; inſurgant, ut lubet, illudant, ſubſannent, feriant, pungant, titillent, ſtomachentur, & inſtar fulminum attonent, dejiciant, comburant. Inſurgant ſcioli male literis inaugurati, qui vermiculatis dictionibus, ſententiiſque teſſellis, pluricoloribus, variegatis ſuffulti, odoramentis, ſuffituque redolentes, delicatiores ſibi cibos molliſſime quæritent. Eſto ſane. Inſultent ampulloſo inceſſu, elata fronte, inflato pectore, vanaque præditi oſtentatione, audacia, arrogantia, petulantia, nihil ad nos pertinere judicabimus. Nam ſemper Lybia mali quippiam, ut ajunt, adfert, & cum præſto ſit via, ſemitam quærunt. Eurymnum ideo fugiendum arbitror, qui phoci convivium paravit; ignorans eſſe Pylum ante Pylum. Quos omnes ad Ulyſſis ſocios relegandos putabimus, qui neſcientes ubi locorum eſſent, & ad quam divertiſſent regionem, in ſues converſi, inter inertia pecora ſordidam tranſegere vitam. Satis enim mihi eſt, non certandi cum eloquentibus ſtudio, ſed innocentiæ meæ tuendæ gratia, laborem hunc ſemel tantum ſuſcepiſſe. Neminem enim eſſe, qui tam accurate, tamque circumſpecte ſcripſerit, arbitror, qui aut dormitaſſe, aut erraſſe, naſutioribus videri poſſit.

Sed, Lector humaniſſime, dic, rogo, Amico noſtro: an arbitretur, ſe neglexiſſe Chriſti Philoſophiam, charitatem fraternam præcipientis. *Si quid admiſerit in te frater tuus, quod ſit animadverſione dignum: ne ſtatim proſilias ad vindictam. Adito illum ſolus ſolum; ut agnoſcat quantum aberrarit ab officio fraternæ charitatis. Si vero non agnoſcet culpam, tibique ſoli non præbuerit aurem, rurſus, adhibito uno, at-*

que

que altero, argue eum, ut pudore ſaltem corrigatur. Quorum neutrum fecit Amicus; ſed typis publice excuſſis in me fuit debacchatus; ſcribens videlicet falſo, ſe a me provocatum fuiſſe. Vale.

IN-

INDEX RERUM,

A

Sive

B

Bar-

C

Cæsa-

E

F

G

H

I

Ju-

L

La-

con-

Na-

O

P

Plau-

Q

R

S

De

V

Viris

X

Z

FINIS.

